(Aristophanes)
Schneider



<36634513420017

DE VETERUM IN ARISTOPHANEM SCHOLIORUM FONTIBUS

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

OTTO SCHNEIDER,

PHIL. DR.

SUNDIAE, A. MDCCCXXXVIII.


SUMPTIBUS LIBRARIAE CAROLI LOEFFLER.



AUGUSTO BOECKHIO,

PRAECEPTORI EGREGIO,


ΘΡΕΠΤΗΡΙΑ.



AUGUSTO BOECKHIO,

PRAECEPTORI EGREGIO,

ΘΡΕΠΤΗΡΙΑ.


Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

De veterum in Aristophanem scholiorum fontibus.

Prolegomena.

Argumentum pertractare aggredior ex intimis maximeque reconditis graecarum litterarum latebris depromptum itaque vel leve specie vel utilitatis exiguae, ut paene verear ne praefanda mihi venia sit, quod obscura parumque utilia et ipse tractaverim et lectores ut mecum tractent aliquo bonarum horarum dispendio invitare videar. Etenim de scholiorum ad Aristophanem illustrandum a scholiastis olim conscriptorum fontibus quum expositurum me promiserim, nihil videbor expromere posse nec quod ad ipsius Aristophanis fabulas, divini fetus ingenii, penitus cognoscendas quicquam valeat, nec — quae sola hic istud quicquid est damni resarcire quodammodo possit disputatio — quod veterum Aristophanis interpretum, clarorum virorum, quanta fuerit industria et eruditio via et ratione demonstret; nunc enim totus sum in obscuri hucusque et vel inter veteres parum cogniti grammatici intermortua fere memoria instauranda; nihil nunc de Aristophane disputabo, nihil de ejus fabulis vel emendandis vel explicandis; denique vel nihil vel perpauca, eaque obiter magis quam data opera exposita, de doctis poetae interpretibus, qui certatim veteribus hominibus faciliorem ad Aristophaneas fabulas aditum parare studebant. — Verum enim vero in hac tanta argumenti mei exilitate habeo tamen quo mea commendem studia atque inertiae crimen a me defendam; qui demonstraturus sim antiquiorum Aristophanis interpretum neminem scholiastas legisse ipsos, eorumque placita his non innotuisse nisi ex unius libro utiliter conscripto, cui proinde soli par est gratiam nos habere, quod etiamnum tam multa tamque egregia recon-

ditae doctrinae frustula ad totam illustrandam antiquitatem ex scholiis Aristophaneis petere possimus. Neque enim displiciturum hoc commentandi genus eis omnibus persuasum habeo, qui in recentiorum narrationibus graeculorum sciunt quam caute sit versandum, ne qui proterva saepe fronte fidem habendam sibi clamare videntur testes eludant nos de ipsorum auctoritate securos; hanc autem doctorum virorum partem ubi judices nactus ero, causam meam sustinebo facile, si in istud argumentum quomodo delatus sim narravero.

Fuit igitur quum accurate de ea quaestione commentari instituerem, quae est de Aristophanearum fabularum per totam doctam antiquitatem condicione, sive illae doctorum grammaticorum curis criticis vel decesserunt magis magisque a pristina et genuina forma vel ad principem habitum denuo redierunt, sive vel accurata et sobria interpretatione debitam festivissimae facetiae laudem nactae sunt vel quorundam enarratorum levitate minus perspectae labem aliquam etiam in externa forma contraxerunt, ut in uno igitur loco conjuncta essent omnia, quae ad criticam aliquam contextus interpretationisque Aristophaneae historiam pertinerent talem, qualem in divino Prolegomenon opere de Homeri carminibus Wolfius inchoavit magis quam ad finem perduxit. Atqui ad eam quaestionem rite instituendam constat inter doctos unicum paene fontem esse scholia ea, quae e Marci Musuri Cretensis recensione primum in Aldino exemplari edita et deinceps a multis repetita passimque correcta sunt; quibus nostra memoria e praestantissimo codice Ravennate itemque e codicibus Venetis alia accessere simili vel etiam paulum saepe majore doctrina referta, quae tamen cum Aldinis in summa rerum plerumque consentiunt, ut eundem utrorumque fontem antiquum fuisse concedendum videatur. Sed quae praeterea circumferuntur hodie in Aristophanem scripta scholia, ea aut talia continent quae qui prioribus tantum labris graecas litteras attigerit conscribillare possit, aut quae ex Athenaeo, Suida, Eustathio, aliis petita ab ipsis demum editoribus vel conscripta sint tota vel breviori antiquiorum scholiorum summae tamquam maxima pars adjecta, id quod — ne quid de recentiorum lusibus dicam, — Juntinam secundam, ab Antonio Fracino Vrachiensi adornatam imprimis attingit [1]). — Itaque quum in eam quam dixi rem intentus ad Aldina scholia ferebar, praestantissimis observationibus tam multas sine eruditione ulla et arte excogitatas videbam admixtas esse, ut eorum quoque quae vera tradi videban-

---

1) Cf. Bentleji Epistol. Phalarid. p. 22. coll. Hemsterhus. Aristoph. Plut. Praefat. p. XVII. Lips.

tur fides paululum vacillaret. Hinc nihil arbitrabar antiquius habendum, quam ut quae in universum scholiorum illorum auctoritas posset esse certissimis rationibus explorarem. Est autem certissima in talibus ratio ea qua satis antiquos optimaeque notae fontes suppeditasse singula de quibus in quoque loco agitur apparet. Verum talis de fontibus quaestio quum alibi saepe difficilis sit et erroribus haud paucis obnoxia, tum in scholiis Aristophaneis magis etiam aucta difficultas est Musuri incuria, qui operae pretium non duxit monere, nec quid in quoque codicum suorum, quos plures habuit [1], invenerit, nec qua ratione singulorum scholia codicum disposuerit et in unum conjunxerit; de his igitur atque talibus altum apud Musurum silentium, ut fuerint adeo qui eum maximam scholiorum partem conscripsisse ipsum suspicati sint [2]). Qualem ego suspicionem nolim in tanta praesertim obscuritate ipse profiteri; quae enim causa est ut mentitum dicamus hominem esse, quum ita scriberet in fine scholiorum ad Avium fabulam [3]): *Ἀριστοφάνους κωμῳδιῶν ἑπτὰ καὶ τῶν εἰς αὐτὰς σχολίων, ἀρχαίοις συντεθέντων γραμματικοῖς, ἃ δὴ σποράδην ἐν ἀντιγράφοις κείμενα διαφόροις καὶ πεφυρμένως συνείλεκταί τε καὶ ὡς οἷόν τ᾽ ἦν ἐπιμελέστατα διώρθωται παρὰ Μάρκου Μουσούρου τοῦ Κρητός, τέλος,* — aut quum haec toti operi praefaretur [4]): *τὰ δ᾽ ὑπομνήματα ταυτὶ καὶ πόνου πολλοῦ καὶ χρόνου ἐδεῖτο μακροῦ εἴ τις αὐτὰ πρὸς τὸ βέλτιον ἐγχειροίη μεθαρμόσασθαι σχῆμα, ὧν θατέρου μὲν ἐπεκρατήσαμεν, καίτοι κρείττονος ἢ φέρειν. περὶ στενὸν δέ μοι κομιδῇ τὰ τοῦ χρόνου συνέβη. οὐ γὰρ μόνον τὰς ἐξηγήσεις συνείρειν ἠργολαβήσαμεν πεφυρμένας τέως, ὥς ἴστε που καὶ αὐτοί, ἀλλὰ καὶ τυπωθείσας ἤδη ἐπιτετράμμεθα διορθοῦν,* — quae profecto non ejus sunt verba qui sua ediderit scholia. — Sed ea ipsa verba quae, quoniam sola sunt quae huc pertineant, apposui integra, quum in edendis scholiis qualem rationem Musurus instituerit non satis indicent aperte, ad conjecturas confugere cogimur, quibus Musuri in hisce industriam clariore quadam si fieri possit imagine describamus. Quam in rem non minimam habet utilitatem eorum scholiorum comparatio, quae in Ravennate codice ad illustrandas Thesmophoriazusas scripta Bekkerus repperit; quippe

1) Hoc propter Hemsterhusium moneo, qui Praef. Plut. p. XVI. Lips. num unus pluresve codices Musuro ad manus fuerint dubitavit. Nostrum judicium nititur ipsius Musuri verbis, quae mox ascribo.

2) Jacobs. Anthol. graec. VI. Proleg. p. CXXIV. quo paulo cautius Küsterus judicavit, Praef. Arist. fol. 2: „scholia Musuri — partim ab ipso Musuro hinc et inde interpolata mihi videntur.“ —

3) Apud Dindorf. Arist. Tom. X. p. 511.

4) Apud Beck. Comm. in Aristoph. I. Praef. p. LXXVII.

ex hisce colligi potest, qua ratione in suis codicibus posita scholia Musurus invenerit. Erit igitur in rem nostram, illorum habitum scholiorum paulo accuratius contemplari.

Ac primum quidem non unius — non dico veteris cujusdam grammatici sed scholiastae — manus in illis conspici, sed plurium, ad minimum trium conjuncto studio deberi, quibus in Ravennate libro Thesmophoriazusae illustrantur, facillime apparet; quod ut demonstrem, non opus est ut plura ejusdem generis sedulo conquiram, quale hoc est quod in schol. ad v. 1. *Κλειτώ* mater appellatur Euripidis, in scholio autem ad v. 910. Euripides *Κλειτοῦς υἱωνός*; sed facilius factum Bekkeri diligentia negotium est, qui quae disjuncta in codice invenit scholia ad eundem versum scripta, item separatim posuit; hinc statim in oculos incurrit duorum scholiastarum interpretamenta legi in scholl. ad hosce versus 261, 401, 403, 935, in quibus scholiis eandem sententiam duo scholiastae diversa ratione exponunt; sed ad v. 126. extat scholion, in quo duorum interpretum sententiae in diversas partes abeunt. Praeterea huc pertinent alia nonnulla scholia eadem atque priora illa ratione composita, quae vel tota vel maximam partem ascribam, ut maculas simul quibus contaminata sunt eluam. Schol. 2. ad Thesm. 21: *καὶ διὰ τούτου φαίνεται ὑπονοῶν Εὐριπίδου εἶναι τὸ „σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.“ ἔστι δὲ Σοφοκλέους ἐξ Αἴαντος Λοκροῦ. ἐνταῦθα μέντοι ὑπονοεῖ μόνον, ἐν δὲ τοῖς Ἥρωσιν ἄντικρυς ἀποφαίνεται· καὶ Ἀντισθένης καὶ Πλάτων Εὐριπίδου αὐτὸ εἶναι ἡγοῦνται, οὐκ ἔχω εἰπεῖν ὅ τι παθόντες· ἔοικε δὲ ἤτοι πεπλανημένος ἢ* (hoc delendum) *συνεξαπατῆσαι τοὺς ἄλλους, ἢ* (hoc add.) *ὥσπερ ὑπονοοῦσί τινες συμπτώσεις γενέσθαι* (hoc de meo addidi) *τῷ τε Σοφοκλεῖ καὶ τῷ Εὐριπίδῃ, ὥσπερ καὶ ἐπ' ἄλλων τινῶν* [1]), — quae ego correxi ex eo scholio quod in eandem sententiam paulo brevius disputat et apud Bekkerum primum ad h. l. est. — Schol. ad v. 80. (*ἐπεὶ τρίτη 'στὶ Θεσμοφορίων ἡ μέση*): *τοῦτο τῶν ζητουμένων ἐστί, πῶς καὶ τρίτην καὶ μέσην εἶπεν. ια' γὰρ ἄνοδος, εἶτα ιβ' νηστεία, εἶτα τρισκαιδεκάτη καλλιγένεια, ὥστε μέση μὲν εἶναι δύναται τρίτη μὲν οὔ, ἀλλὰ δευτέρα. ἀλλ' οὐδὲ ψυχρεύεσθαί τις δύναται λέγων, ὅτι τρίτη ἡ τρισκαιδεκαταία, ὡς ἑκαταῖα ἑκατηβόλος σελάνα* (scribendum *ὡς· ἑκταία κ. τ. λ.*, unde optimus enascitur versus Phalaeceus hendecasyllabus), *ἤγουν* (hoc vel simile quid addendum) *ἑκκαιδεκαταία* [2]). *ἡ γὰρ μέση οὐκ ἔστι ιγ', ἀλλὰ δω-*

---

1) Vide de omni ista re Brunck. ad Sophocl. Aj. Locr. frag. 2. Dindorf. frag. Aristoph. pag. 136. coll. Boeckh. de graec. tragoed. princip. p. 123. et p. 247. Groen. van Prinster. prosopogr. Platonica p. 158.

2) Ejus usus poterat scholiasta celebriores quoque testes citare Hesiodum Op. et D. 698. Göttl. *πέμπτῳ ἔτει* (i. e. *πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ*; Pindarum frag. Thren. 6. *πέφνε δὲ τρεῖς καὶ δέκ' ἄνδρας· τετράτῳ δ' αὐτὸς πε-*

δεκάτη. ἡ λύσις οὖν ἥδε. δεκάτῃ ἐν Ἁλιμοῦντι Θεσμοφόρια ἄγεται ὥστε τρίτην μὲν ἀπὸ δεκάτης ιβ' εἶναι, μέσην δὲ μὴ συναριθμουμένης τῆς δεκάτης· τοῦτο δὲ αἰνιγματῶδες κατὰ Καλλίμαχον ἄν τις φαίη, ἔνθα μὲν τρίτη λέγεται, συναριθμεῖν τὴν ι', ἔνθα δὲ μέση, μηκέτι συναριθμεῖν. καὶ ὅπου γε λιμώττουσιν, ἀστεϊζόμενοι τὴν μέσην τῶν Θεσμοφορίων ἄγειν φασίν, ἐπεὶ αὕτη ἡ νηστεία [1]), — quae omnia in breviorem summam contracta in altero quoque ad istum locum scholio prostant. — Schol. Thesm. 101: μονῳδεῖ ὁ Ἀγάθων ὡς πρὸς χορόν [2]), οὐχ ὡς ἐπὶ (legend. ἀπὸ) σκηνῆς, ἀλλ' ὡς ποιήματα συντιθείς, διὸ καὶ χορικὰ λέγει μέλη αὐτὸς πρὸς αὑτόν, ὡς χορικὰ δέ, — at in eandem sententiam is quoque disputat, qui primum ad h. v. scholium confecit. — Schol. Thesmoph. 346: ἡ καὶ δέχεται δῶρα παρ' ἑταίρας ἐπὶ τῷ προδιδόναι καὶ συγχωρῆσαι αὐτῇ τὸν φίλον. [γρ. καὶ] ἑτέρα (scrib. ἑταίρα) καί ἐστιν ἕτερος νοῦς, quae supplevi et emendata dedi ex altero in hunc versum scholio, quod eadem narrat: ἄλλ[ως. ἐὰν μὲν] ἄνευ τοῦ ι γρ. ἑτέρα (leg. ἑταίρα), οὕτως — ἐὰν δὲ σὺν τῷ ι κ. τ. λ. — Ad Thesmoph. 568. item duo in eandem sententiam conspirant scholia, sed alterum aliquanto longius: ἐπεποίηντο γὰρ ἐκκλησίαν. τὰς δὲ σκηνὰς διὰ μέσου εἴρηκεν. καὶ γὰρ πρὸς τῇ σκηνῇ πυκναὶ ἦσαν, ὡς καὶ αὐτὸς Ἀριστοφάνης μέμνηται τούτου, — ubi corrigendum arbitror: πρὸς τῇ πυκνὶ σκηναὶ ἦσαν, ut respexerit scholiasta ad Thesm. 624 συσκηνήτρια (ubi schol. σκηνὰς γὰρ ἑαυταῖς ἐποίουν πρὸς τὸ ἱερόν); vereor enim, ne paulo negligentius Dindorfius egerit [3]) qui de σκηνὰς καταλαμβανούσαις, deperdita Aristophanis fabula, cogitasse scholiastam sibi persuasit. — Praeterea apud Bekkerum aliquoties conspicitur hocce signum: — quo itidem duo diversi auctoris scholia disjunguntur; vid. ad v. 339, 585, 600, 624, 710, 772, 773, 781, 824, 928, 941, 1059, 1197; quibus adde scholia ad v. 747, ubi ultimum hoc est: τοῦτο ἔθος ἦν Ἀττικοῖς λέγειν τὰ ἔτη καὶ (legend. κατὰ) τὸν ὑπερπίπτοντα ἀριθμὸν ἀπὸ τῶν Διονυσίων. — tum schol. ad v. 947: τὸ παίξωμεν οἱ Ἀττικοὶ παίσωμεν ἔλεγον καὶ τὸ παίσωμεν πάλιν παίξωμεν: — καὶ πολυπαίγμονος ὀρχηθμοῖο, ubi scribendum videtur —

δάθη (i. e. ab decimo quarto); id. frag. incert. 54. τέκν' ἔπεφνεν — δυώδεκ', αὐτὸν δὲ τρίτον (nisi hic quidem exciderunt reliqua).

1) In ultimis si recte grammaticum intellexi, hoc voluit, quum νηστείαν i. e. Thesmophoriorum diem tertium, dicerent μέσην, allusisse quasi ad μεστός Atticos, adeo ut e contrario jocum peterent. Parum haec intellexit Preller. in Zimmerm. diurn. 1835. No. 98. p. 787. qui aliam quoque scholii partem tentavit injuria.

2) Cf. schol. Nub. 1356: οὕτως (πρὸς χορὸν λέγειν) ἔλεγον, ὅταν τοῦ ὑποκριτοῦ διατιθεμένου τὴν ῥῆσιν, ὁ χορὸς ὀρχῆται.

3) Dindorf. frag. Aristoph. p. 172.

καὶ τὸ παίσω πάλιν παιξοῦμαι (vel παίξομαι)[1]: — καὶ φιλοπαίγμονος ὁ.[2]). Sed quae praeterea isto signo ornata sunt scholia, ad diversas contextus voces spectant, ut in scholl. ad 131, ubi secundum schol. ad κατεγλωττισμένον pertinet, alterum ad μανδαλωτὸν versu 132, quod eadem fere ratione explicatum est in schol. ad Acharn. 1163; idemque statuendum de schol. ad v. 838. —. Postremo, id quod imprimis memorabile est, sunt inter Thesmophoriazusarum scholia, quae solemni illa voce ἄλλως, diversorum de eadem re scholiorum indice, diremta sunt; vid. schol. ad v. 393, 440, 948, 516, ubi prius scholium e schol. Vesp. 1111. et schol. Pac. 199. ita redintegrari potest: Θεόφραστος [προάνθησ]ίν φησι τῆς πίτυος καὶ τῆς πεύκης[3]). Ἐρατοσθένης ἀγγεῖον τοῦ σφ[ηκίου ἢ κηρίου] τῆς μελίσσης, ὅπου οἱ σκώληκες [τετραίνου]σιν, κ. τ. λ.[4]). His addenda scholia ad v. 389 et ad 747, ubi quum item duo scholia voce ἄλλως interposita disjunguntur, tum primi cujusque scholii iterum duae sunt partes, diversi haud dubie auctoris, ut trium diversorum manus hominum appareant; idemque fortasse etiam statuendum de schol. ad v. 804, quod voce ἄλλως in duas divisum partes est, quarum prima de Ναυσιμάχῃ agit, sed ita agit, ut quum primum πέπλασται τὸ ὄνομα dictum sit, in fine subjiciatur: Ναυσιμάχη δὲ πόρνη καὶ Σαλαβακχώ, — quae idem homo non videtur scribere potuisse. — Haec qui contemplatur facile cavebit ne errorem erret in quem delabi pronum est, ubi de Musuri in edenda scholiorum congerie ratione quaeritur. Neque enim defuisse scio, qui ita sibi persuaserint, si quando in Aldina collectione plura in eundem versum scholia extant sive dirempta voce ἄλλως, sive in unum conflata, haec Musurum demum e diversis codicibus in unum locum coegisse istudque ἄλλως de suo addidisse aut ubi addendum fuerit omisisse; quod etsi ipsius Musuri verbis supra transcriptis posset qui id agere vellet quodammodo firmare, apparet tamen nunc quam antiquis jam temporibus eadem invaluerit ratio, ut ultro nascatur suspicio Musurum in hac quidem parte a codicibus pependisse fere totum, diversaque scholia non tam e pluribus codicibus transcripsisse vel disjunxisse primum, quam e singulis codicibus servata codicum in digerendis diversorum auctorum scholiis ratione fideliter sumpsisse. Neque huic suspicioni ab omni parte adversantur quae ipsum Musurum de suo in digerendis plurium codicum scholiis labore professum vidimus; namque suo quaeque versui scholia tribuere

1) Cf. Buttmann. Gr. gr. max. I. p. 381.
2) Homerici versus particula est ex Odyss. 23, 134.
3) Cf. Theophrast. hist. plant. 3, 3, 8, p. 145. Schneid.
4) In secundo scholio: κύτταρος καλεῖται τὰ κοιλώματα τῶν μελικηρίδων — legendum vidêtur: τῶν μελικήρων.

πεφυρμένως per codicum oras diffusa, erat sane laboris alicujus quem subiisse se gloriari posset; tum si statuimus, quod est sane maxime probabile, Musurum codices habuisse non tam tales, in quibus omnes quas edidit fabulae idonea stipatae scholiorum congerie scriptae fuerint, quam tales, qui nonnullas tantum quisque descriptas scholiisque illustratas tenuerint: possunt illa verba in eum quoque sensum intelligi, ut singulas fabulas cum suis quamque scholiis ad certum quendam ordinem revocasse hominem putemus, quode infra disputabo pluribus. — Interim tamen non negaverim in uno alterove scholio, in quo plures observationes in eandem sententiam deque eadem re scriptae sunt, singulas observationes e diversis codicibus Musurum sumpsisse, modone ad omnia ejus generis scholia quisquam hoc pertinere velit neve Ernestio [1]) assentiendum putet, qui sibi persuaserat „omnia, quotquot in libris suis repperisset, in unum confudisse, et per particularum *δὲ* et *οὖν* vincula copulata et in hunc pulcherrimum scilicet cinnum commixta Aldo Manutio edenda dedisse Musurum Cretensem," — quae profecto et injustissima est et audacissima criminatio nec potest adtingere hominem et doctum satis et ad vitia expellenda, ipso fatente, promptum paratumque, quem praesertim in antiquis suis libris saepissime illud *ἄλλως*, diversorum indicem scholiorum, invenisse probabile est, quod ut negligeret exemplum ubi occasio tulit, quam potuit causam habere satis idoneam?

Hoc primum fuit in quo Musuri versabatur industria; alteram negotii sui partem ipse praedicat scholiorum emendationem. Eam quam saepe quaeri oportuerit ex iisdem illis Thesmophoriazusarum scholiis augurari licebit; neque enim multo comptiores et a maculis liberiores Musurus in suis codicibus quam Bekkerus in Ravennate libro scholiastas invenisse videtur; quem librum quot quantave vitia commaculent, ex eis quae supra e Thesmophoriazusarum commentario produxi corrupta colligi potest; hic addam alia, ut leviora etiam vitia haud pauca Musuro quoque tollenda fuisse probabile reddam ostendamque tamquam in speculo aliquo. Ita in schol. ad v. 2 cum alia medica egent manu, tum ab initio *ἔξωθεν*, cujus nec usus ad interpretandum, nec causa ulla est, sed quod una cum reliquis ita debet scribi: *ἐξ ἕωθεν* (vel certe *ἐξ ἑωθινοῦ*, quod in contextu est) *ἐν κύκλῳ περιάγων* [*ὥςπερ*] *ἐν ἅλωσι. καὶ τὸ τύπτειν καὶ* (hoc dele) *ἀλοᾷν λέγουσιν κ. τ. λ.* [2]); — in schol.

1) Ernest. Praef. ad schol. Arist. Nub. apud Dindorf. adnot. ad schol. vet. Arist. T. XII. p. 274 seq.

2) Respexisse videtur ad Ran. 149, ubi etiam gloss. Paris. *ἠλοίησεν — ἔτυψεν.* Ceterum vide etiam Gramm. Bekkeri in Anecd. I. p. 384, 3, tum Bachmanni, II. p. 375, 35 seq.

ad v. 273 scribendum *Ἀθηναῖος, ὅς γ' εἶχεν υἱούς*[1]) · — in schol. ad 648: *διισθμιονίσαι* vel *διισθμίσαι* · — in schol. ad 746: *ἔτη* pro *ἔπη* · — in schol. ad 689: *διαβάλλει δὲ τὰς γυναῖκας, ὡς ἐν μάχαις αὐτῶν τοὺς ἀσκοὺς τῶν οἴνων κατεχουσῶν*, — scribendum: *ὡς ἐν μασχάλαις — κατεχουσῶν*, i. e. ut quae in sinu ferant etc. — Atque talibus vitiis ut in Ravennate codice adjuncta sunt alia alius generis ita in Musuri quoque codicibus accessisse probabile est, talia dico quae vel litteris nonnullis vel totis vocibus e contextu delapsis oriebantur; ejus quoque generis possunt quod quidem ad Thesmophoriazusarum scholia pertinet, vel ex eis quae supra posui idonea exempla peti, quibus unum nunc adjicio schol. ad Thesmoph. 1214: *διέβαλε*] *ἐξηπάτησε. παρὰ τοῖς Ἴωσιν. . . . . ονισιν διαβάλλει ταισο θεῖος*, — ubi scribendum: *παρὰ τοῖς Ἴωσιν· [καὶ αὐτὸς ἐν] ὄρνισιν· διαβάλλεταί σ' ὁ θεῖος*, qui Avium versus est 1648 Bekk. ubi cf. schol. itemque Suid. sub *διαβάλλεσθαι*[2]). Quibus locis facilius est medelam adhibere, quod ulcus in propatulo est litteris non omnibus expulsis; quod ubi factum est nullumque externum exstat lacunae vestigium, vitium fugit facilius, ut in schol. Thesmoph. 811: — *τὸ δὲ ζεύγει ἀντὶ τοῦ ἁμάξαις ἐκφέρειν δεῖ. διὸ καὶ οὐκ εἶπεν οὕτως (ἁπλῶς?) πεντήκοντα, ἀλλὰ κατὰ πεντήκοντα, τὸ συνεχὲς ἐκφαίνων*, — ubi sensu cassum istud *διὸ* est, cui praecessisse olim arbitror hoc vel simile quid: *οὕτως γὰρ εἰώθασιν. διὸ καὶ κ. τ. λ.* id ut novi scholii initium sit. — Hinc igitur conjecturam facere licebit quantas emendandi molestias subire Musurum oportuerit, quas quin revera subierit nec verba solum dederit non est quod dubitemus; illud autem jure dubites num et omnia sustulerit vitia, et quae voluerit tollere recte sustulerit; namque et sunt hodiedum plurima in scholiis Aldinis quae medicinam adhuc exspectant[3]), et quam infelicem parumque accuratam crisin Musurus exercere solitus sit ex ejusdem hominis castigationibus Hesychianis vel Schowii opera cognosci coepit.

Sed haec quidem hactenus; quae si quis sobrio et incorrupto secum judicio reputat, cavebit ne vel plus justo vel etiam parum tribuat Musuro, concedetque scholiorum editoris principis diligentiam et industriam non tam in totorum scholiorum forma immutanda, sive per se sola posita erant sive cum aliis conjuncta, quam in singulis scho-

---

1) Cf. schol. Nub. 1001 Herm.

2) Cf. Herod. 5, 50. Gregor. Corinth. p. 735 c. not. Int.

3) Hic paulo mitius et honorificentius quam supra de Musuro judicavit Ernesti l. l. p. 280: „saepe miratus sum — Musurum, cujus contra mentem fortasse multa ab Aldo expressa vitiose sunt, — corruptelas non — sustulisse.“

liorum vocibus emendandis — vel etiam depravandis — versatam esse. Id cum in universum ei videtur tenendum esse, qui de singulis quibusdam scholiis quaerit, tum nobis praefandum fuit de scholiorum fontibus exposituris, ne quis Musuro cupiat tribuere nonnulla quae dudum ante ipsum posita erant ab aliis et tamquam a scholiastis profecta a nobis in testimonium vocabuntur. Sed ita munita via, rem ipsam quam mihi proposueram, aggredi possum tutior; viaque ac ratione demonstrabo, Symmachi commentarium Aristophaneum praecipuum fuisse nostrorum scholiorum fontem, veterum autem inter ea scholiorum unicum.

---

§. 1.

Inter insignia ornamenta quibus Immanuel Bekkerus, indefessae vir industriae, litteras Aristophaneas auxit non ultimo loco habenda subscriptio quaedam est, quae in ejus demum scholiastarum editione comparuit, in fine scholiorum in Pacem: *ὑμὴν ὑμέναι᾽ ὦ] οὕτως Ἡλιόδωρος. κεκώλισται πρὸς τὰ Ἡλιοδώρου. παραγέγραπται ἐκ Φαεινοῦ καὶ Συμμάχου*: — quippe hac primum subscriptione facultas data, de scholiastarum Aristophaneorum fontibus certiori ratione probabiliora disputare, quam quae ad hunc usque diem jacta potius sunt temere, quam via ac ratione exposita. Sunt autem illa verba sine dubio deprompta e Codice Veneto 474, unde Vesparum et Pacis scholia supplevisse se Bekkerus memoriae prodidit [1]). Namque praeter librum Ravennatem ille in edendis eis scholiis isto quoque Veneto codice ita usus est, ut quae inde supplevit plurima sine codicis nota adjecerit, quum quae ex Ravennate addidit non minus diserte significarit [2]) quam ea, quae e Veneto codice 475 deprompsit; et quamquam in multis Ravennas cum Veneto consentire videtur, in talibus tamen Venetum solum suspicor Bekkerum secutum esse [3]), nec Ravennatem adhibuisse nisi forte ad enotandam aliquam minorem lectionis diversitatem. At ex eodem illo Veneto libro pridem similis quaedam subscriptio cum doctis fuit communicata a Villoisono, Prolegom. in Homer. Iliad. p. XIX, ubi in codicis Veneti 474 folio 43 se testatur invenisse haec: *κεκόλλισται ἐκ τοῦ Ἡλιοδώρου. παραγέγραπται ἐκ τοῦ Φαεινοῦ καὶ Συμμάχου καὶ ἄλλων τινῶν*, — quae e Villoisoni opere tacite sumpsit Hermannus, Praefat. Aristoph. Nub. p X. edit. alt., servato etiam scripturae vitio; neque enim dubitari posse videtur, quin *κεκόλλισται* Villoisoni incuriae debeatur, qualis ab ipso non aliena est [4]), scriben-

---

1) Bekker. Praef. Aristoph. p. VII.

2) Cf. schol. ad Pac. 214, 277, 468, 681 etc.

3) Id imprimis apparet e schol. ad Pac. 277, ubi libri Ravennatis scholion primus edidit Invernizius Tom. II. p. 25, et accuratius Dindorf. T. X. p. 649; at apud Bekkerum multo longius legitur scholion, ornatum etiam aliqua lectionis diversitate, e Veneto 475 deprompta; — ut e Veneto 474 istud fluxisse certissimum sit. Alia sciens omitto.

4) Praeter ea, quae Bastius passim monuit ad Gregor. Corinth. vide etiam Bekkerum Praef. schol. Hom. Iliad. p. IV. Thierschium in Act. phil.

dumque ibi quoque sit *κεκώλισται*, ut Heliodorus metricus intelligatur, cujus versuum Aristophaneorum descriptionem in rem suam scholiastae converterint, non interpres aliquis ejus nominis, de quo, si verum illud esset, aliqua saltem exigua, mihi crede, etiamnum in scholiis extaret mentio. Sed error in scriptura semel commissus continuo alium secum traxit interpretationis; namque ubi quis semel sibi persuasit, ex Heliodori cujusdam copiis sua conglutinasse scholiastas, is eosdem noluerit arbitrari descripsisse interpretationes ex Phaino et Symmacho; indeque factum arbitror, ut Godofredus Hermannus, vir summus, ad singularem plane ultimorum verborum interpretationem delapsus sit, quae qualis sit ex ipsius viri summi verbis facile cuique patebit; namque de Ravennate et Veneto codice 474 disserens l. l. „etsi," inquit, „hi duo codices merito ut optimi et emendatissimi laudantur, tamen qui ubique eorum scripturam praeferret, hic illic non quod Aristophanes, sed quod emendator grammaticus posuisset, reciperet; ac legitur in Veneto fol. 43 *κεκόλλισται* etc.:" — unde Hermannum conjicimus putasse, qui ista subscripserit indicare voluisse, transcripsisse se fabularum Aristophanearum contextum eum, qualis Phaini, Symmachi aliorumque correctionibus evaserit. Verum huic interpretationi obmovendum altum istud in scholiis de Symmacho critico silentium, ad quale provocare testimonium etsi errori saepe vicinum est, hic habet tamen vim aliquam, ubi in triginta amplius locis citatum Symmachum semper de interpretatione, nusquam de sua aliqua conjectura monuisse videmus [1]). Quod autem maximum est certissimamque ad persuadendum vim habet: tertiam quandam ejusdem generis subscriptionem ex eodem Veneto codice communicare cum doctis per Bekkeri liberalitatem nobis licet, quae quo sensu priores intelligendae sint apertissime doceat; sic enim Bekkerus in fine scholiorum ad Aves scriptum invenit: *παραγέγραπται ἐκ τῶν Συμμάχου καὶ ἄλλων σχολίων*, quae eadem observatio dudum e codice Leidensi, inventa item in fine Avium fabulae, a Dobraeo producta est [2]), atque nec ipsa potest nisi in hunc sensum intelligi: „comportata scholia esse ex Symmachi aliorumque commentariis;" — nec ut reliquas duas subscriptiones interpretemur aliter patitur.

Quae si contemplamur, facile pro se quisque codicem aliquem satis vetustum sibi finget, in quo, quum fabulas

---

Monac. II. 4. p. 574 — [Sic olim judicaveram; nunc autem Bekkerus, qua est liberalitate, me monuit aperte scriptum in codice se quoque legisse *κεκόλλισται*, atque injuria Villoisonum me incuriae insimulasse. Ergo a Villoisono in librarios transferendum crimen erit.]

1) Cf. infra §. 30 not.

2) Apud. Dindorf. Tom. IX. p. 439.

Aristophaneas una cum scholiis transcripserit vir quidam haud indoctus, in fine cujusque fabulae ingenue monuerit, unde illae copiae petitae sint, id quod non penitus abhorret ab ejus aetatis more habemusque etiamnum unum saltem ejus generis indicem, singulis fere rhapsodiis in Homeri codice Veneto A subscriptum, quo ex quattuor libris grammaticorum Aristonici, Didymi, Herodiani, Nicanoris monemur collecta esse, quae qui primus istum adornavit codicem scholia adjecit. — Sed illum codicem si haberemus servatum, non dubitandum, quin multo certius hic aptiusque ad persuadendum posset disputari; nunc ne illud quidem pro certo sumi potest, codices Venetus et Leidensis num ex eodem uterque vetusto codice una cum scholiis etiam subscriptiones traduxerint; tum, si traduxerint, num subscriptionem genuina forma servaverint; postremo hoc imprimis incertum est, num quattuor illae subscriptiones ad eas tantum tres fabulas [1]) eosque codices pertineant, quibus subjectae sunt, ut reliquorum et codicum et fabularum scholia aliunde accesserint, an valeant de omnibus fabulis codicibusque, elapsae sive hominum socordia sive temporis injuria e ceterarum fabularum fine, at in tribus illis fausto quodam casu servatae solis. Apparet igitur, quam parum per se valeant subscriptiones illae ad fontes scholiorum certissima ratione eruendos, ut nisi alia accedant, quae vel firment in quibus consentiunt singulae, vel corrigant in quibus dissentiunt, nullum fere usum videantur habere, certe non talem, unde justae disputationis exordium et fundamentum sumatur. Itaque nos longe alia progrediemur via, primumque videbimus, quid etiamsi non essent subscriptiones illae servatae, ex ipsis scholiis extricari possit; cui deinceps admovebimus subscriptiones, ex eaque comparatione verum invenire conabimur. —

§. 2.

Ac prae ceteris quidem in scholiis loci nonnulli advertunt animum, quibus hypomnemata citantur ad explicandum Aristophanem adhibita, non illa quidem auctorum no-

---

1) Ad Pacem, Aves et tertiam quandam fabulam; haec quaenam sit ob Villoisoni silentium incertum est, nisi quod hoc aliunde colligi potest, diversam eam fabulam a reliquis duabus quas posui esse. Namque quum Codex ille Venetus 474 secundum Zanetti (graec. Div. Marc. bibl. Codd. MSS. p. 250) foliorum sit 277 nihilque contineat nisi 7 Aristophanis fabulas hoc ordine scriptas: Plut. Nub. Ran. Equit. Av. Pac. Vesp. — credibile est folium 43, ubi subscriptionem istam Villoisonus legit, pertinere neque ad Aves neque ad Pacem neque ad Vespas, ut ultimas codicis fabulas, sed ad aliquam inter priores. [Id recte me conjecisse, Bekkerus postmodo me docuit, qui in fine Nubium Villoisoni legi subscriptionem asserit, reliquas autem fabulas praeter Aves et Pacem subscriptionibus carere.]

mine insignita, sed ut videas tamen, satis antiquorum et doctorum indicari grammaticorum commentarios: quos ego locos sigillatim enumerabo, quum nec unius omnes generis sint, et ad rem nostram multum videantur conferre. — Ordiamur autem a scholio ad Plut. v. 1037 Bekk. (cujus editionem ubique sequor), ubi quotquot scriptae sunt annotationes ad Aristophanis explananda verba haec:

Γρ. διὰ δακτυλίου μὲν οὖν ἐμέ γ᾽ ἂν διελκύσαις.
Χρ. εἰ τυγχάνοι γ᾽ ὁ δακτύλιος ὢν τηλία, —

facile mihi concedet quisque omnium doctissimam ideoque fortasse etiam antiquissimam esse hanc: *τηλία] κοσκίνου κύκλος ἢ σανὶς πλατεῖα, ἐφ᾽ ἧς ἄλφιτα ποιοῦσιν. ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι οὕτως· τοῦτο τι ἐστιν οὐκ οἶδα. ὅτι δὲ συμβάλλεται ἐν Μαρικᾷ Εὐπόλιδος οἶδα. κἀκεῖ γὰρ τὴν Ὑπερβόλου μητέρα τηλίᾳ εἰκάζει τῇ πλατείᾳ σανίδι. τινὲς δὲ τηλίαν ξύλον φασὶ πλατύ, εἰς ὃ οἱ ἀρτοκόποι τοὺς ἄρτους ἐπιξηραίνουσιν. ἄλλοι δὲ τηλίαν τὸ τῆς καπναδόχης πῶμα* [1]), *ὅ ἐστι περιφερές. φησὶν οὖν ὅτι διὰ δακτυλίου ἑλκυσθείης, ἐὰν ᾖ ὁ δακτύλιος τηλία. τοῦτο δὲ ὡς παχείας αὐτῆς οὔσης καὶ μὴ δυναμένης διὰ δακτυλίου ἑλκυσθῆναι, ἀλλὰ διὰ τηλίας.* Hic dignus est qui audiatur Hemsterhusius, de verbis *ὅτι δὲ συμβάλλεται κ. τ. λ.* ita disputans, ad Plut. p. 377 Schaef.: „ex his sensus exsculpi nullus potest, quo indicio facile corruptelam subesse deprehendas: nihil aliud suppetit, quam ut de conjectura remedium arcessamus,“ quod ita recte administrasse sibi videbatur, ut *ὅτι δ᾽ ἀμφιβάλλεται* scriberet, quorum verborum hanc ipse subjecit interpretationem: „ambiguum vocabulum esse significationisque controversae, hoc scio.“ Quae tametsi facile largior ab ejus, qui commentarium perscripsit, mente non magnopere abhorrere tamen nondum mihi potui persuadere, ut cum corrupta verba putarem, tum jure medicam eis manum esse adhibitam. Neque enim video quid impediat quominus hoc dixisse videatur scriptor commentarii: „*τηλία* quid sit nescio, nisi quod hoc scio, adhibitum vocabulum esse ab Eupolidis interprete ad eum explicandum *ἐν Μαρικᾷ* locum, quo

---

1) Quamquam alienum est ab instituto nostro, commentarium in scholiastas scribere, praesertim ubi rem, de qua cum maxime agitur, nihil hoc attigerit, animi tamen causa tum alibi nonnulla expromam, quae ad scholiastas magis quam ad rem nostram pertineant, tum hic illud moneo, istam interpretationem (*τηλίαν* esse *τὸ τῆς καπνοδόχης πῶμα*) aperte fluxisse ex Aristophane ipso Vesp. 147, quod Hemsterhusio non suboluit. — Praeterea illud quod tractamus scholium una cum eo quod statim apud Bekkerum sequitur, adque eandem explicandam vocem scriptum est, ita in rem suam convertit Philemon. lex. tech. p. 164 seq. Osann. ut in unum utrumque conjungeret, idque satis negligenter, quandoquidem, etsi nullam Aristophanis mentionem fecit, ita tamen grammaticus peroravit: *λέγει οὖν κ. τ. λ.* Idem cadit in Phavorinum Camertem.

Hyperboli matrem τηλίᾳ poeta fecit similem," sive, ut accuratius scriptoris verba premam: „scio, locum nostrum ob vocem τηλία ab interprete Eupolidis cum simili quodam illius comici loco comparatum esse." — Quod enim alius grammatici in alium poetam comicum commentarios respicit scriptor, id nec per se alienum est a cauto Aristophanis interprete, qualem eum ipsius verba demonstrant fuisse, et alibi etiam in ipsis hisce scholiis Aristophaneis factum est, ut alios aliorum poetarum commentarios inspicere jubeamur; quo magis mirum est, Hemsterhusium, quem accurate tractasse haec majorum copiarum frustula non unus docet in egregio illo commentario locus, aut neglexisse prorsus istum usum, aut tum forte non esse recordatum; sed idem ne in posterum cuiquam accidat, diligenter cavebimus. Primus autem quo hoc comprobem in conspectum venit qui in his ipsis in Plutum scholiis locus legitur, ad v. 9: τὰ μὲν περὶ τοῦ Πυθίου τρίποδος διαφόρως ἱστορούμενα ἐν τοῖς Πινδάρου ὕμνοις εὐκαίρως ἡμῖν διείληπται, — quae Didymi verba esse, non Palamedis Eleatici, ego quoque cum Boeckhio [1]) facile concedo cognomini meo Joanni Theophilo. In eundem porro sensum ea dicta sunt, quae in scholiis ad Plut. 589 prostant: — παρὰ τὸ λείριον, — σημαίνει δέ τι ἄνθος, ἀφ' οὗ καὶ φωνὴ λειριόεσσα ἡ ἀνθηρὰ καὶ κύριον Ποδαλείριος. — περὶ οὗ καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι [2]), ad cujus interpretes disertius respici jubent scholia in Pac. 376: παρατηρητέον οὖν (de voce ἀμαλδύνειν) πρὸς τοὺς παρ' Ὁμήρῳ ἐξηγουμένους „τεῖχος ἀμαλδύνας" [3]); quae quidem duo scholia aliud in memoriam mihi revocant quod in eadem Pluti fabula ad v. 550 ascriptum ita legitur corrupte: — μᾶλλον ἄν τις ὑπονοήσειεν ἕτερον Διονύσιον Θρασυβούλου τοῦ Κολυττέως ἀδελφὸν ἢ (hoc jure inseruit Hemsterh.) ἔγγιστα συγγενείας εἶναι. καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι σαφέστερον οἶδεν ἢ κατὰ Δίδυμον. ὡς εἴ τις λέγοι κ. τ. λ., emendatumque est ab Hemsterhusio in hunc modum: — καὶ ἐν Γηρυτάδῃ σαφέστερον οἶδεν (scil. ὁ Ἀριστοφ.). ἢ κατὰ Δίδυμον· ὡς εἴ τις λέγοι κ. τ. λ. qua in emendatione tum illud ὁ Ἀριστοφάνης σαφέστερον οἶδεν nescio quomodo displicet, tum neque ἢ neque κατὰ Δίδυμον respondet loquendi usui, quem constanter in scho-

1) Cf. Boeckh. Praef. schol. Pindar. p. XVIII.

2) Quamquam de hoc nihil hodie extare credo in scholiis Homericis, probabile tamen est, de hisce disputasse grammaticos ad explicandam vocem λειριόεις, quam quidem disputationem invidebant nobis epitomatorum in excerpendo rationes ad Iliad. γ, 152 aut ν. 830. — Sed ne credas, scholiastam Aristophaneum ad ipsam Iliadem, non ad commentarios in Iliad. respexisse, illud vetat: καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι.

3) De hoc quoque nihil hodie legimus in veteribus commentariis Homericis, quod jure aliquo ad eos amandasse nos scholiastam Aristophaneum demonstret.

liis observatum videmus, quique hoc fere flagitat: ἄλλως· Δίδυμος, aut Δίδυμος δέ· — ut ita potius suspicer haec olim litteris consignata fuisse: καὶ ἐν Γηρυτάδῃ [1]) σαφέστερον οἶδεν ἢ ᾽νταῦθα Δίδυμος, ut ad Didymi commentarios in istam Aristophanis fabulam provocare videatur scholiastes. Sed ejusdem Didymi commentarios etiam in scholiis ad Vesp. 151 respici credo, ubi haec leguntur: τὸν ὑπεκλυόμενον οἶνόν φασίν τινες καπνίαν λέγεσθαι. ἐν δὲ τοῖς περὶ Κρατίνου διώρισται ὅτι τὸ (scrib. τὸν) ἀπόθετον ἢ καὶ παλαιόν; nam Cratinum etsi plures interpretati sunt Grammatici [2]), tamen equidem quemquam inter eos praeter Didymum ita simpliciter potuisse Cratini interpretem dici in Aristophaneis scholiis praefracte negaverim. Nec majore jure dubitare possis, num etiam in scholiis Avium v. 1738 Didymi commentarii intelligendi sint: ὑμὴν ὤ, ὑμέναι᾽ ὤ] ᾔδετο τοῦτο ἐν τοῖς γάμοις. εἴρηται δὲ τοῦτο ἐν τοῖς Μενανδρείοις, quod ita interpretor: „quode (i. e. illud cantari in nuptiis solitum fuisse) dictum est in commentariis Menandreis;" nam ephymnium istud si in Menandrea aliqua fabula extare dicere voluisset scholiasta, dixisset opinor καὶ ἐν τοῖς Μ., mirumque fuisset, Menandrum eum voluisse testem citare quum multo locupletior in propinquo esset ipse Aristophanes in Pace extrema [3]). Quod autem non dubitari posse dixi num Didymi [4]), an alius cujusdam grammatici [5]) commentarii Menandrei citentur, id quo jure dixerim, infra §. 28 not. ult. patebit.

---

1) Hanc, quam merito valde incertam Dindorfius (frag. Arist. p. 117) appellat Hemsterhusii conjecturam retinui tamen, quum ipse non multo certiorem excogitare potuerim. Etsi enim ob mutandi facilitatem haud paulo praestaret: ἐν Δηλιάσιν (quae Cratini fuit fabula, eadem prorsus ratione apud Hesychium sub αἰθρία commutata in Ἰλιάδες), tamen Cratinus in ea fabula vix potuit ob temporum rationes istum Dionysium memorare. Quamquam hoc ita possis infringere, ut alius quidem Dionysii a Cratino mentionem factam dicas, a Didymo autem reliquos etiam cognomines ei homines ad istum locum enumeratos esse, id quod in nostris quoque scholiis est identidem factum.

2) Cf. Meinekium, Quaest. Scen. III. p. 4 et 5. Serius ad me perlatus est Bergkii liber, quem inscripsit commentationes de reliquiis comoed. att. antiquae; is accurate de Cratini interpretibus disputavit p. 65 seq. et p. 264 seq. ita tamen, ut non multum abesset, quin Didymum numero eximeret; namque „Didymum, inquit, Cratini comoedias illustravisse, dubium propterea est, quod lexicon comicum composuit." Sed idem tamen Didymus Aristophanem quoque illustravit.

3) Secus tamen visum Meinekio, viro doctissimo, qui fragmentum hic Menandreum latere arbitratur, Menandr. et Philem. reliq. p. 280.

4) Didymum in Menandrum commentatum esse docet Lexic. Gudian. p. 338, 25, citatum a Meinekio, Quaest. Scen. III p. 5.

5) Quales vide apud Meinek. Proleg. ad Menandr. p. XXXIII seq.

§. 3.

Sed nondum eum apposui locum, qui omnium est aptissimus ad tuendam in schol. Plut. vulgatam lectionem; est is in schol. ad Vesp. 1310: *ὁ δὲ ἄχυρος παρ' Εὐπόλιδι ἐν Χρυσῷ Γένει, ὅπου καὶ τὸ Πλάτωνος παράκειται ἐξ Ἀδώνιδος*, ubi eadem plane ratione atque in Pluti scholio, alius poetae comici versum ascriptum in commentario fuisse vides tum ejusdem poetae vocabulo cuidam, tum (ut statim quid sentiam eloquar) ab eodem interprete, Didymo. In hunc enim quod librum istum transtulerim, nolim quisquam ita existimet, me justo saepius aut cupidius meminisse scripta ejus, quem ipsum suorum nimis obliviosum fuisse librorum, docet *τοῦ βιβλιολάθου* cognomen, quo eum ornaverat Demetrius Troezenius [1]); certas enim rationes secutus sum, ut commentariorum Eupolideorum [2]), quos qui scripserit aliunde non constat, auctorem fuisse Didymum putarem. Extat namque Bekkeri industria scholium ad Aristoph. Thesm. v. 162 satis doctum, quo tum illud cognovimus, *Ἀλκαῖος* in illo Aristophanis versu a cognomine grammatico demum esse repositum pro *Ἀχαιός*, tum hoc, parum illam probatam fuisse conjecturam Didymo, qui ita judicarit: *οὐκ ἐπεπόλαζε τὰ Ἀλκαίου διὰ τὴν διάλεκτον* [3]). His a scholiasta haec subjecta sunt: *ἀλλαχοῦ δὲ ὁ Δίδυμός φησιν, „ἡ μὲν γραφὴ δύναται μὲν εἶναι, οὐκ ἂν δὲ τούτου τοῦ μελοποιοῦ μέμνηται,“ πάλιν τὸ αὐτὸ λέγων, ὅτι οὐκ ἐπιπολάζει τὰ μέλη. Ἀλκαίου τοῦ κιθαρῳδοῦ, οὗ καὶ Εὔπολις ἐν Χρυσῷ Γένει μέμνηται: „ὦ 'λκαῖε Σικελιῶτα Πελοποννήσιε.“ τί δὲ ἐνταῦθα κιθαρῳδοῦ, περὶ ποιητοῦ ὄντος τοῦ λόγου;* — quae sine dubio ita sunt emen-

1) Cf. Athenaeum libr. IV. p. 139 C.

2) Commentarios Eupolideos attigit etiam Fritzschius, Quaest. Arist. I. p. 146 not., sed ut neque de eorum auctore quaereret vir ad suspicandum semper paratissimus. neque satis sibi ab omni errore caveret. Quis enim paululum modo cautior in Autolycum alterum scholia olim scripta fuisse contendere velit ob solum schol. in Thesmoph. 941 hocce: *ἐστιῶν καὶ δοτικῇ συντάσσουσιν, ὡς καὶ παρ' Εὐπόλιδι ἐστιν ἐν Αὐτολ. θατερ. ὥστε οὔτε ἐκεῖ, οὔτε ἐνθάδε δεῖ ξενίζεσθαι* (qui versus videbatur Bergkio esse, comment. p. 346). Ceterum duo testimonia praetermisimus et ipse supra et Fritzschius: schol. Equit. 938 — *ἔστι δὲ πολλὰ καὶ παρ' Εὐπόλιδι σεσημειωμένα*, tum schol. Paris. ad Apollon. Rhod. 4, 144. Nihil horum innotuit Lucae, de Cratin. et Eupolid. p. 90.

3) Hanc adnotationem „maxime sibi et miram et memorabilem“ visam esse Rankius profitetur, de vita Aristoph. I. p. CLXXVIII. not. 58; et esset sane maxime mira, si, quod ille sibi persuasit, hoc sibi voluisset Didymus, „Alcaei carmina propter dialectum non legere potuisse Aristophanem;“ nunc autem quum aperte dicat Didymus, Alcaeum propter dialectum non a multis Atticis tritum fuisse, ideoque parum esse verisimile, ejus mentionem esse factam in comoedia, ut quae notissima quaeque producere soleat, — hac igitur ratione non video, quid insit miri. Ceterum propter *ἐπιπολάζειν* cf. schol. Pac. 725.

danda: *οὐκ ἂν δὲ τ. τ. μ. μεμνῇτο (πάλιν τ. α. λ. — μέλη) ἀλλ' Ἀλκαίου τοῦ κιθαρῳδοῦ κ. τ. λ.* Quaeritur autem quonam tandem alio in loco istam animadversionem repetierit Didymus, in Aristophanicis an in alius poetae commentario. Horum illud parum est credibile; nam — nisi fortasse statuis, quod hodie faciunt multi ut prorsus *ἀπροσδιονύσως* copias suas effundant, id in veteres quoque illos interpretes cadere — necessario ita esset existimandum in una aliqua Aristophanis fabula itidem de eodem Alcaeo citharoedo mentionem fuisse factam; quod si fuisset, mirum esset talem locum Didymum, magnae virum lectionis, fugisse, quo suum de Thesmoph. v. 162 judicium multo firmasset melius quam Eupolideo. Et tametsi scimus Athenaeo teste XV p. 694 A Aristophanem in Daetalensibus quoque similiter scripsisse haec:

Ἆισον δή μοι σκόλιόν τι λαβὼν Ἀλκαίου κἀνακρέοντος,

— putasne, si ad hunc versum ista statuis Didymum repetiisse, putasne igitur interpretem qui Didymo obloquitur hunc quem ita cognitum habere oportebat versum noluisse afferre quamvis aptissimum cum ad firmandam Aristophanis grammatici in Thesmophoriazusis conjecturam, tum ad propulsandam Didymi opinionem? — Sed quod ad testimonium dicendum de Alcaeo citharoedo non videmus provocatum quemquam nisi Eupolidem, id ipsum satis diserte videtur indicare, plures ejusmodi locos qui aliquam in hac causa vim habere potuerint doctis Grammaticis non innotuisse, ut si quid de eo homine adnotare vellet Didymus, quod a loco quo erat positum non abhorreret, non posset nisi in commentario Eupolideo extare [1]). — Quae si vere disputata sunt — et mihi quidem videntur veri admodum similia — facile est ad intelligendum quid de ratione judicandum sit, quam scholiasta in hac componenda adnotatione adhibuerit: nominato quidem Didymo, sed celato quo ejus observatio prostaret loco inventi Eupolidei versus gloriolam sibimet ipsi studuit comparare, id quod ne ab antiquioribus quidem grammaticis omnibus ubique abhorret. — Simul autem non erit mihi magnopere verendum ne quis nimiae me arguat audaciae, si statim subjecero, in Pluti scholio a quo exordiebatur nostra haec disputatio ejusdem D i d y m i commentarium Eupolideum, non alius grammatici nescio cujus mihi videri eum intellexisse, cujus *ὑπόμνημα* scholiasta excerpsit. —

1) Id est ad ipsum illum *ἐν χρυσῷ γένει* locum: *ὦ 'λκαῖε Σικελιῶτα Π.* — Caeterum quae hic posui non refragari eis, quae supra dixi p. 15 not. 1 extr., facile concedet qui utramque rem accuratius consideraverit.

§. 4.

Vulgatam igitur in Pluti scholio scripturam Hemsterhusio non fuisse sollicitandam satis, credo, probavi [1]), nimis fortasse longa disputatione, sed quam tamen ad aliam quoque rem demonstrandam non poteram tuto omittere. Etenim videbam, si persuaderem lectoribus Didymi commentarium Eupolideum ad partes vocatum in isto scholio esse, statim assensuros mihi esse omnes affirmanti, *ὑπόμνημα* illud, ex quo excerpta dedit scholiasta, non fuisse a Didymo conscriptum; nam diversum utriusque scriptionis cum commentarii Eupolidei tum *τοῦ ὑπομνήματος* auctorem esse ipsa *ὑπομνήματος* verba exscripta satis aperte indicant [2]). Illud igitur si persuasi, ut persuasisse me credo, pro certo jam et indubitato ponere alterum potero, quod in reliquam nostram disputationem non exiguam habebit vim, si quando scholiastae *τὸ ὑπόμνημα* (sic simpliciter citatum) excerpsisse se fatentur, de alio cogitandum commentario esse atque de Didymi libro. Quod ut lectores studiose tenere velim, ita et ipse tenebo mordicus nec e manibus eripi mihi patiar, praesertim quum, si quis oppugnare velit, causam meam tueri polliceatur aliud scholium ad Pac. 742 quo post Bekkeri demum operam hisce reliquiis navatam cum fructu aliquo uti possumus [3]); id ita habet: *Λαμίας ὄρχεις] δραστικοὶ γὰρ οἱ ὄρχεις. Δίδυμος δὲ· εἰδωλοποιεῖ τινας ὄρχεις Λαμίας. θῆλυ γάρ. ἐντεῦθεν καὶ Λάμος ἡ πόλις τῶν Λαιστρυγόνων. λέγεται δὲ ἡ Λαμία Βήλου καὶ Λιβύης θυγάτηρ,* — quibus post expositam uberius Lamiae historiam [4]) haec subjiciuntur *οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι.* quae priusquam accuratius tractabo, ex schol. ad Vesp. 1035, ubi eadem Aristophanis verba redeunt, lucem aliquam adipiscantur; ubi quum scriptum sit: *Λαμίας*

---

1) Addere in eandem rem reliquos poteram locos similes, schol. Pac. 474, ubi citantur commentarii Hipponactei; tum schol. 2 ad Nub. 397, ubi ipsa adeo verba apponuntur e commentariis in Apollonium Rhodium (quae in nostris ad eum scriptorem scholiis redeunt ad IV, 264). Sed hoc scholium non puto antiquum esse totum. Addere quoque poteram schol. Plut. 286: *ἐν Σοφοκλεῖ εἴρηται περὶ τοῦ ἡμῖν, ὅτι καὶ βραχύ ἐστι, διὸ καὶ ὀξύνεται.* sed id quum e Cod. Parisino prolatum sit jure dubitabam cum ceteris comparare quae citantur ab antiquioribus grammaticis quam quorum vestigia in codice Parisino alibi superesse soleant. Quamquam ad Sophocleos non commentarios quidem, sed tamen codices respicitur etiam in schol. Aldin. ad Plut. 493.

2) *ὅτι συμβάλλεται.* alioquin, opinor, scriptum esset *καὶ ἐν Μαρικᾷ Εὔπολις τὴν Ὑ. μητέρα εἰκάζει τηλίᾳ*, vel simile quid eadem ratione.

3) Supplevit enim Bekkerus (e codice Veneto 474 ut arbitror) hoc quo carent priores scholiorum editiones: *οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι,* — in quo cardo rei nostrae vertitur.

4) Eam e Duridis libro secundo rerum Libycarum petitam esse patet ex schol. Vesp. 1035.

ὄρχεις] Λαμία θηρίον, ἀπὸ τοῦ ἔχειν μέγαν λαιμόν, λαιμία καὶ λαμία. δραστικοὶ δὲ οἱ ὄρχεις κ. τ. λ. — facile apparet in Pacis scholio priorem interpretationem hodie decurtatam et mancam legi, quam ubi ex Vesparum scholio suppleveris, statim longe aliam rationem videbis ad interpretandam ῥῆσιν Aristophaneam Didymum iniisse; de cujus interpretatione illud jam tenendum, quae sequatur de Lamia historia ab ipso Didymo esse appositam; aliter enim ejus interpretatio — θῆλυ γὰρ — ne intelligi quidem posset; neque ad eam solam pertinere illud οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι, sed ad priora quoque Didymi verba; ad haec autem si pertinent, necessario etiam ad priorem istam interpretationem, quam e Vesparum scholiasta supplendam diximus, simul sunt referenda; nam et cohaeret utraque interpretatio externa sua forma arctissime, et si ad Didymi tantum adnotationem illud quod subscripsit pertinere voluisset scholiasta, si nihil aliud certe schol. Plut. 1037 fidem facit, praeposita non postposita illa nota ita fere eum loquuturum fuisse: ἐν δὲ ὑπομνήματι οὕτως εὗρον· Δίδυμος· εἰδωλοποιεῖ κ. τ. λ. [1]). Extabat igitur utraque potius interpretatio in veteri illo hypomnemate, et quod inde statim consequitur, auctor ὑπομνήματος a Didymo plane fuit diversus, quippe quem ab illo citatum et ad ipsius condendum librum in auxilium vocatum videamus.

§. 5.

Inde quae in rem nostram commoda redundant priusquam exponere aggredior, solvam nomen et qui restant de ὑπομνήμασιν a scholiastis Aristophaneis in interpretando poeta citatis enumerare locos pergam. Quorum eum qui est ad Vesp. 544 temperare mihi non possum quin totum ascribam quum et solidae doctrinae plenus sit et e codice Veneto 475 [2]) nunc demum recte intelligi queat; sic autem habet: θαλλοφόροι] ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν οὕτω γέγραπται. θαλλοφόροι ἀντὶ τοῦ ἐργάται, „θαλλόν τ' ἐρίφοισι

---

1) Est etiam quod contra me afferri posse video: saepissime in scholiastarum et lexicographorum libris diversas afferri notationes δὲ particula disjunctas easque e diversissimis petitas operibus, quae nusquam nisi in istis solis parum accuratorum scriptorum libris conjunctae vel legantur vel legi possint (vide Ritschl de Oro p. 20, 23 etc.); id autem cur hic quoque statuam factum esse causam video nullam, non magis quam in aliis multis scholiorum locis, quos postea proponam. — Sed ne quis talem qualem efflagitavi in scribendo accurationem a scholiastis nostris plane judicet alienam, vide schol. Av. 1379: Σύμμαχος οὕτως· Εὐφρόνιος· ἐπειδὴ κ. τ. λ.

2) In hoc enim codice (quem interdum se consuluisse Bekkerus narrat, Praef. p. VII) quas lectiones memorabiles invenit quum in priore scholiorum in Pac. parte in ipso contextu notasset Bekkerus, postea videtur ad imam paginam relegasse.

φορῆναι“ [1]). οἱ γὰρ γέροντες τὰ τοιαῦτα ἐν ἀγρῷ οἰκονομοῦσιν. Εὐχερεῖς δέ εἰσι, περὶ ὧν μηδὲν ἔσχον εἰπεῖν σαφὲς ἀποσχεδιάζοντες. θαλλοφόρους γὰρ ἔφη βουλόμενος τοὺς γέροντας δηλῶσαι, ἐπειδὴ ἐν τοῖς Παναθηναίοις οἱ γέροντες θαλλοὺς ἔχοντες ἐπόμπευον. ὡς οὖν εἰς οὐδὲν ὄντων χρησίμων αὐτῶν ἔξω τοῦ θαλλοφορεῖν, οὕτως αὐτοὺς ἐπέσκωψεν. ὁ μέντοι Δικαίαρχος ἐν τῷ Παναθηναϊκῷ οὐκ οἶδα ἐξ ὅτου ποτὲ καὶ τὰς γραῦς ἐν τοῖς Παναθηναίοις ὑπειλῆφθαι (scribe, ut in vulgatis legitur scholiis: ὑπείληφε) θαλλοφορεῖν, πολλῶν ἀλλήλοις ὁμολογούντων εἶναι τοῦ (scribe εἶναι τοῦτ᾽ ἔθος) μόνους τοὺς πρεσβύτας θαλλοφορεῖν, Ξενοφῶντος μὲν ἐν τῷ Συμποσίῳ [2]), Φιλοχόρου δὲ ἐν τῇ δευτέρᾳ, ὅς γε καὶ τὸν κατάδοντα (scribendum καταθέντα. Bergk. commentat. p. 41 voluit κατάγοντα·) τὸ ἔθος Ἐριχθόνιον συνίστησι. μνημονεύει τοῦ ἔθους Κρατῖνος μὲν ἐν Δηλιάσι, Φερεκράτης δὲ ἐν Ἐπιλήσμονι. — Haec primo aspectu eadem ratione mihi videbantur posita esse atque scholium illud in Plutum, a quo initium traxit haec nostra disputatio, putabamque hic quoque suum illud ὑπόμνημα, quo in explicando comico utebatur, scholiastam intelligi voluisse et excerpsisse; nam quod qui ibi ὑπόμνημα vocatur commentarius, hic ὑπομνήματα audit, id non magno opere isti opinioni adversari et tum credebam et etiamnum existimo. Nunc autem re iterum pensitata aliter statuendum arbitror. Videntur enim in scholio nostro plurium potius interpretum ὑπομνήματα simul respici quam unicum illud quod in schol. Plut. 1037 et Pac. 742 ad manus sibi fuisse scholiasta testatur; qui quum in ista interpretatione, θαλλοφόρους esse ἐργάτας, consentirent omnes, illud brevitati datum, ut unius verba ponerentur, ceterorum in eadem interpretatione conspirantium verbis omissis. Atque hanc quidem interpretationem non tam illud: εὐχερεῖς δέ εἰσι — ἀποσχεδιάζοντες (hoc enim, si verum fateri volumus, in utramque partem trahi potest eodem jure), quam scholium aliquod ad Avium vers. 556 egregie confirmat, cui inter alia haec ascripta observatio est: ἐν ἐνίοις δὲ τῶν ὑπομνημάτων ταῦτα λέγεται· „ἱερὸν πόλεμον λέγει, καθὸ πρὸς θεοὺς ἔσοιτο. ἅμα δὲ τοῦ ἱεροῦ πολέμου μνημονεύει, γενομένου Ἀθηναίοις πρὸς Φωκέας ὑπὲρ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ.“ ἐσχεδίασται δὲ ὑπ᾽ αὐτῶν, κ. τ. λ. cujus observationis forma alteri quam e scholiis ad Vespas apposuimus tam est similis, ut non temere mihi videar pronuntiare eundem utriusque auctorem esse. Atqui is hic quidem apertissime indicat, si qui eandem sententiam tuerentur commentarii nu-

---

1) Homerici versus frustulum esse, ex Odyss. ρ, 224, Dindorfius monuit.

2) Cf. Xenoph. Sympos. 4, 17, indicante eodem Dindorfio.

mero plures, unius tantum sese produxisse verba brevi hac nota, plurium eandem esse interpretationem, apposita; ut in priore quoque scholio eandem eum rationem tenuisse multo sit magis verisimile, quam quod olim me putasse dixi, de hypomnemate cogitandum esse isto, quod in pangendis hisce scholiis suis se oculis usurpasse enarrator Aristophaneus in schol. Plut. et Pac. ll. ll. affirmat. — Idemque prorsus de eis dictum velim, quae Vesparum versui 968 ascripta sunt: *ἐν τοῖς ὑπομνήμασι δὲ γέγραπται περὶ τῶν τραχηλίων οὕτως· τὰ ἀποβαλλόμενα τῶν ὄψων κ. τ. λ.* — *πεπλάνηται δέ. ἔστι δὲ τραχήλιόν τι βραχὺ τελέως, παραπλήσιον τοῖς κυρηβίοις* (Cod. Venet. *κηρυκίοις.* voluit sine dubio: *κηρυβίοις* [1]) *τουτέστι πιτύροις κ. τ. λ.* — quibus iterum apertius quid sibi velint indicant haec quae in simili interpretum dissensu posita sunt in schol. Av. 281: *ἐν ἐνίοις δὲ ὑπομνήμασιν, ὅτι προκέφαλός ἐστιν ὁ Φιλοκλῆς ὡς ὁ ἔποψ. ἀλλ' οὐδαμοῦ κεκωμῴδηται.* Neque eo usque progressa est corruptio in schol. Av. 1075, quin facile intelligi possit, ad idem genus pertinere quae ibi in hunc modum edita sunt: *τινὰ τῶν τεθνηκότων*] *τῶν ἐπὶ θανάτῳ φευγόντων. ἐν δὲ τοῖς ὑπομνήμασιν οὕτω γέγραπται· ἐν ὑπερβολῇ καὶ τοὺς τεθνηκότας ἀποκτείνειν, ὥστε μηδ' ἐν...... πλασιάζονται δὲ τῇ ἀμφιβολίᾳ. λέγει γάρ· ἐάν τίς τινα τῶν τοῖς τυράννοις προσηκόντων ἀποκτείνῃ, τάλαντον λήψεται, οἷον γύναιον, τέκνον, ἀδελφόν κ. τ. λ.* — ubi Kusterus: „locus," inquit, „et mutilus est et corruptus, qui absque meliorum codicum ope suppleri et sanari nequit;" recte quidem ille et sobrie quod ad mutilationem attinet, — quamquam intelligere mihi videor, quid scholiasta dixerit [2]); quod autem corruptionem non nisi meliorum ope librorum tolli posse putavit, mirarer equidem, ni talem opem omnes uno ore faterentur nostris hominibus pridem subministratam esse Victorii copiis, quem Aloysius quidem Nickelius [3]) eumque sequutus Dindorfius [4]) post *μηδ' ἐν* inseruisse ad complendam lacunam *πλαγίζονται* affirmarunt, sed quem apertum est non tam *πλαγίζονται*, quam *πλαγιάζονται* scripsisse, certe scribere debuisse, idque non ad explendam vel ex parte lacunam, sed ad emendandam vocem corruptam *πλασιάζονται.* Illud igitur si deleta voce corrupta receperimus plana erunt omnia; fuerunt, inquit, qui chorum

---

1) Nam haec quoque forma apud nonnullos in usu fuit; cf. Henric. Stephan. thes. ed. Londin.

2) Namque jurarem paene, hoc scriptum in commentariis istis fuisse: *ὥστε μηδ' ἐν Ἅιδου σώζεσθαί τινα*, — si juratis (Wolfii utor verbis) crederetur in arte critica.

3) Cf. Copiae Victorianae in Aristophanem, quas exscripsit A. Nickelius, Act. philol. Monac. I, 3, p. 397.

4) Dindorf. schol. Aristoph. (Tom. X), p. 475 not.

ὑπερβολικῶς vel mortuos tyrannos urgendos esse cecinisse putarent; sed hi decepti sunt [1]) ambiguitate verborum *τυράννων τινὰ τῶν τεθνηκότων*, quae hic quidem non tam valent: „aliquem ex tyrannis mortuis“ (quod illi sibi persuaserunt), sed: „cognatum aliquem vel amicum tyrannorum.“ — Quae quin ab eodem accurato et sobrio interprete scripta sint quem ex scholl. Vesp. 544, 968, Av. 281 et 556 modo cognovimus, nemo, opinor, serio dubitabit; ejusdem igitur in percensendis aliorum interpretum sententiis brevitatem, qua plurium simul commentariorum interpretamenta sub unius produxit verbis, hic quoque debemus agnoscere.

At jam illud quaeritur, iste tam accuratus interpres fueritne ab eo, qui in schol. Plut. 1037 citavit *τὸ ὑπόμνημα*, plane diversus, an ipse in eo scholio *τὸ ὑπόμνημα* ad partes vocaverit; quod ut recte decernatur summâ cura nitendum est. Nam quum postea (§. 7) probaturus sim, *τὸ ὑπόμνημα* in schol. Plut. a scholiastis citatum esse (de quorum fontibus quaesituros nos promisimus), sponte patet inde istam quam movimus quaestionem in hanc continuo mutatum iri, scholiastae num plures an unum tantum adhibuerint commentarium. — Sed sunt profecto inter se diversi plane homines; primum enim non potest modo *τὸ ὑπόμνημα*, modo *τινὰ ὑπομνήματα* promiscue idem homo citare, nisi forte vecors aliquis et male sanus; — nam qui ita hariolatur, in Plutum fabulam istum solum aut extitisse omnino aut servatum tum fuisse commentarium, ceteris fabulis multo beatioribus, qui igitur ita hariolatur, quorum se putet assensum nacturum esse? — tum (modo verum sit, quod postea me probaturum dixi, *τὸ ὑπόμνημα* adhibitum a scholiastis esse) si non essent diversi, et instructiores commentariis et accuratiores atque cautiores in interpretando haberemus scholiastas quam quales extiterunt unquam; postremo autem, id quod omnium maximum est, ei cujus ex *τοῦ ὑπομνήματος* in schol. Plut. afferuntur verba, tanta cum eo qui in scholl. Vesp. 544, 968, Av. 281, 556, 1075 loquitur similitudo [2]) intercedit, ut vel hoc solum satis sit argumenti ad affirmandum, eum quem in scholl. Vesp.

---

1) Hoc enim apud recentiores interdum valet *πλαγιάζεσθαι*. Vide modo schol. Venet. ad Iliad. δ, 59 ed. Bekk. *πρεσβυτάτην] τιμιωτάτην νῦν. πλαγιασθεὶς δὲ ἐντεῦθεν Ἡσίοδος νεώτερόν φησι τὸν Δία*, — ubi errarunt sine dubio et Villoisonus, qui *πλανηθεὶς* edidit, et Muetzell. de emendat. Theogon. Hesiod. pag. 477 not., inconsideratius ille de Bekkeri fide judicans.

2) Cernitur ea similitudo in magna illa accuratione et animi sobrietate quae quo magis solebat a multis aliena esse grammaticis, eo majorem ad eam, quam dixi, rem demonstrandam vim habeat necesse est. Accedit quod utrinque habemus hominem aliorum opiniones percensentem.

et Av. ll. ll. disserentem legimus, eundem esse hominem non cum eo qui *τὸ ὑπόμνημα* citavit, sed cum ipso *τοῦ ὑπομνήματος* auctore. — Quod si ita est, ista *ὑπομνήματα*, quorum in hac § mentio facta est, non possunt inter eos fontes referri, quos ipsi tractarunt scholiastae. Nec reluctabitur, opinor, quisquam, si etiam illos „interpretes nonnullos“ in schol. Vesp. 343 et 352 citatos non a scholiastis, sed ab eodem illo accurato interprete usurpatos esse dicam.

§. 6.

His expositis reliquos locos tractabo brevius; sunt enim ad unum omnes ita comparati, ut ne tantillum quidem dubitare quemquam posse credam, quin longe vetustiorum interpretum commentarii intelligendi sint, non eum quem manu sua tractasse scholiastam agnovimus, aut quales omnino usurpare scholiastae, recentiori omnes aetate nati, potuerunt. Statim in schol. Plut. 385 *τὰ λίαν ἐπιτετηδευμένα ὑπομνήματα* non possunt ipsa a scholiasta inspecta et usurpata esse, quum et nimis instructum commentariis eum qui ista usurpavit fuisse indicent, et simul cum istis provocentur Callistratus, Euphronius, *Διδασκαλιῶν* auctor i. e. Aristoteles, quos, si illos praecipua cura elaboratos commentarios suis scholiastam manibus usurpasse concederemus, et ipsos suis oculis perlustrasse eum necessario esset, vel ad tutandam constantiae famam, concedendum; quod tamen nemo unquam sibi persuadebit. — Item in schol. Av. 1242 quum interposita inter Callimachi et Apollonii sententias haec legantur: *ἐν δὲ ἐνίοις τῶν σχολικῶν ὑπομνημάτων* (sic enim legendum; male vulgo *ὑπομνήματα* [1]) *ταυτὶ γέγραπται κ. τ. λ.* — si nihil aliud, certe ipsa illa conjunctio certissime demonstrat, de antiquioribus cogitandum esse commentariis, quam quos scholiastae adire licuerit. Omnium autem maxime dubitatione carent quae in schol. Av. 283 de *ὑπομνήμασι* traduntur: *λέγεται δὲ καταψεύδεσθαι τῶν ὑπομνημάτων* [2]), *ὅτι οἱ Ἱππόνικοι καὶ οἱ Καλλίαι ἄνωθεν ἐκ διαδοχῆς ἀπὸ πατέρων ἐπὶ παῖδας καθήκουσιν. ὅπερ ἐστὶ ψεῦδος. ὁ πρῶτος γοῦν Καλλίας Φανίππου* [legendum [3])

---

1) *Ὑπομνήματα* qui de una aliqua sententia dixerit nondum inveni; *σχολικὰ* autem *ὑπομνήματα* i. e. discipulorum in usum conscripta nec in doctorum virorum oculos prodire destinata, aliunde quoque nota sunt; cf. Lehrs de Aristarch. stud. Hom. p. 21 et 25. — Ceterum Ravennas habet *ὑπομνήμασι*. —

2) Intelligit *τῶν ὑπομνημάτων τινά*. ultimum hoc ut addatur non est necessarium; cf. modo, ut brevis sim, Aristoph. Nub. 1131: *κἂν γαμῇ ποτ᾽ αὐτὸς ἢ τῶν ξυγγενῶν ἢ τῶν φίλων*, — et Apitz ad Sophocl. Trachin. p. 63.

3) Vide quos de nobili ista familia egisse memorat Meinekius Quaest. Scenic. I, p. 51 not.

Φαινίππου] *πατρός ἐστιν κ. τ. λ.*, ubi illud *λέγεται* clare demonstrat, aliorum auctoritatem in istorum commentariorum producenda sententia sequutum scholiastam, non ipsum eis usum esse. —

Sed unus adhuc locus restat, quem quum beatiorem veteribus commentariis scholiastam reddere videatur quam equidem omnia momenta, minima maxima, accurate contemplatus fuisse eum judicaverim, non debebo celare, ne cupide magis quam sobrie agere videar. Servatum enim est inter observationes ad illustrandum Nubium versum 500 scriptas scholium quoddam satis longum, quod ab hisce incipit verbis: *ἐν μὲν τοῖς παλαιοῖς ἀντιγράφοις οὕτως εὗρον*, — quibus post expositam de Trophonio ejusque oraculo historiam haec subjecta sunt: *ἐν δὲ τοῖς νεωτέροις οὕτως*, — addita eadem historia, sed paululum variata. Quae, qua sunt externa forma proposita, facile possent minus cautum in eum errorem abripere, ut eadem haec ratione posita esse crederet, qua illud quod e scholl. Plut. et Pac. supra produximus: *οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι.* Id si verum esset, haberemus sane scholiastam Aristophaneum ab antiquis commentariis non mediocriter instructum eumque ita vel doctum vel accuratum, ut quae antiquiores eoque majore fide digni, quaeque recentiores minusque ab idonea aliqua auctoritate probati commentarii referrent, sedulo distinguere examinando vel potuisset vel voluisset. Verum tamen nostrum quidem assensum cohibet Nubium nomen, monetque ne minus caute agendo vere Nubem pro Jove amplexi errorem procreemus. Satis enim constat, inter omnes Aristophanis fabulas nullam fere Nubibus frequentius esse antiquitus lectitatam, quo oportebat evenire ut scholiorum quoque major quam ad alias comoedias moles ad Nubes explicandas pangeretur. Quorum si non minimum numerum non tam ex antiquis commentariis, quam ex ipsis scholiis pridem contextui jam ascriptis haustum esse affirmavero, nihil fortasse aut novi dixisse videbor aut quod concedere mihi vel sine accuratiore demonstratione quisquam dubitaverit. Idem autem in eo de quo cummaxime agitur scholio factum esse, certissimo documento illud est quod hic comparet *ἀντιγράφων* nomen. Hoc qui de *ὑπομνήματι*, quale hic quaerimus, dixerit simpliciter, nec alibi quemquam inveni nec, quod maximi est momenti, in his ipsis Aristophaneis scholiis idque eis, de quorum antiquo et sincero minimeque aliorum mala sedulitate turbato fonte nulla potest esse justa dubitatio; immo omnia in eo consentiunt, ut *ἀντίγραφα* vel *ἀντιγραφαί* si non accuratius insigniuntur, non dixisse quemquam, certe inter veteres Aristophanis scholiastas, putandum sit, nisi ipsarum fabularum contextum, non commentarios separatim in eas conscriptos;

vide, ut ex majore copia certiora tantum exempla expromam, schol. Thesmoph. 162, schol. Pac. 180, ibid. 219 et 761; ibid. 1309; schol. Equit. 4; schol. Vesp. 676; quorum cum loquendi consuetudine conspirant quae in ipsis illis Nubium scholiis cum ad v. 33 ascripta sunt: ὦ μέλ'] κατὰ ἐπικοπὴν τοῦ ε Ἀττικῶς. οὕτω ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων εὕρηται γραφόμενον; tum quae ad v. 976: ἐν δὲ τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων ΑΜΕΛΕΙ ΤΗΣ ΤΡΙΤΟΓΕΝΕΙΗΣ εὕρηται, — ubi ipsius fabulae contextum, non commentarios seorsim in eam editos intelligi patet. Ergo igitur in tertio quoque eorum loco, qui nobis primus fuit, intelligamus oportet non puros putos commentarios, sed codices ipsius fabulae, eosque in isto quidem loco tales, quibus jam tum excerptae ex veterum libris observationes appictae essent [1]). — Ita apparet, alius generis atque ceteros quos tractabamus eum locum esse, quem jure poterimus ab nostra hac disputatione secludere, ut qui hic quidem non de secundariorum epitomatorum (vel, ut hoc utar vocabulo, antiquiorum excerptorum διασκευαστῶν) fontibus quaerimus, sed de eis, quorum qui primi excerpendi et allinendi negotium sustinuerunt copia suppetebat.

§. 7.

Jam possemus remis, ut ajunt, velisque ad alia festinare, nisi utile videretur ad emensum modo spatium paululum respicere, et quae uberius pertractari oportebat in brevem aliquam summam contrahere, quo facilius certiusque reliquum disputationis campum percurrere queamus, remotis in tempore quae viae impedimento esse videri possint. Vidimus autem in tota ipsorum scholiorum Aristophaneorum congerie, qualis hodie in Bekkeri editione comparet, duos tantummodo esse locos, quibus certius aliquod indicium de eis fontibus contineri videatur, quos ipsis scholiastis adire licuerit; eum fontem fuisse ὑπόμνημα quoddam, a scholiastis non accuratius quidem descriptum et significatum, at ita tamen significatum, ut plura ejus generis scripta ipsis ad manus non fuisse vel sic certissime possit affirmari [2]), praesertim quum reliqui loci, unde plura eis ejus-

1) Sed Stoeckerum si audias, de Sophoclis et Aristoph. interpretibus graecis, p. 1 seq. jam tum, quum ederentur primum, Aristophanis comoediis scholia quaedam ascripta fuerunt. Hoc si verum esset, antiquissimi jam scholiastae ubi nanciscebantur Aristophaneos codices (ἀντίγραφα) simul cum his oporteret etiam ὑπομνήματα nacti essent, adeo ut et reliqua disputassem frustra, et illud infirmum esset argumentum, ἀντιγράφων nomine in schol. Nub. l. l. cognosci novitium scholiastam. — At quae affert Stoeckerus opinionis suae argumenta, et levia sunt, et ita comparata, ut in contrariam quoque partem uti eis possis eodem jure.

2) Loquitur enim scholiasta Plut. 1037 de „τῷ ὑπομνήματι," qua

modi scripta suppetisse probatum ire possit aliquis, nihil in contrariam partem valeant, dummodo ne temere quis omnia conturbare, sed, quo omnium maxime opus est, caute et accurate agere velit. — Verum hoc ipsum nostrum officium severe admonet, ut ne alias quaestiones duas, non minutas illas nec minimi in rem nostram momenti, cupidius praetermittamus. Quid enim? idemne possit de uno illo *ὑπομνήματι* statui, quod de ceteris *ὑπομνήμασιν* ita simpliciter, nec additis auctorum nominibus, citatis statuendum vidimus, antiquiores intelligendos esse libros, quam quos scholiastas suis ipsos manibus tractasse verisimile sit, — adeo ut hunc commentarium tantum absit ut ipsi inspexerint, ut nihil nisi observationes quasdam a nescio quo inde excerptas habuerint, quas iisdem quibus invenerint verbis scriptas exemplaribus Aristophaneis addiderint. — Verum ejus opinionis qui patrocinium suscipere velit, ei quid respondeam habeo vel potius de quo responderi mihi ab ipso velim. Perlibenter enim equidem scire cupiam, qui commentarius quomodo non a scholiasta aliquo, sed ab antiquo aliquo interprete ita simpliciter potuerit in testimonium vocari, quem satis magnam commentariorum copiam in explicando Aristophane adhibuisse cum ex parte jam vidimus, tum postea etiam clarius apparebit; cujus tandem inter priores interpretes *ὑπόμνημα* tantam potuisset famam nactum esse tamque clara et omnium consensu celebrata eruditionis specie excellere, ut nihil timendum esset posteriori interpreti ut vel omisso auctoris nomine omnium tamen uno consensu opinio ad verum *ὑπομνήματος* auctorem ferretur? Ad quae si responderi mihi velim non credo me Graecorum instar male feriatorum de Sirenum cantu quaerere, aut si qua alia quaestio excogitari potest aeque inepta; neque enim cum p r o r s u s ignoto homine nobis res est; nam vixit *τοῦ ὑπομνήματος* auctor Didymo et ceteris plerisque omnibus Aristophanis interpretibus recentior [1]); ipseque indicat, se antiquiorum observationibus debere multum. Ineptine igitur est et male feriati ita quaerere, qui talis interpres potuerit ea, qua dixi, honorifica mentione ab

---

simplici denominatione in aliqua *ὑπομνημάτων* copia uti non potuisset. At in schol. Pac. 742 citatur sane „*ὑπόμνημα*“ (non *τὸ ὑπόμν.*), quod denuo conturbare omnia minatur. Sed vereor, ne articulum aut librarius aliquis aut ipse scholiasta male omiserit; id ut statuam illud me movet, quod articulus in eo loco (cui in tota mea disputatione tribuo minimum, nedum pro praecipuo eum fundamento habeam) adjectus egregie mea firmat, omissus autem omnibus argumentis eisque aliunde firmissimis repugnat.

1) Namque ipsum Didymum citari in *ὑπομνήματι* isto, probabiliter, opinor, supra statui. Ergo non potuit ejus auctor Didymo reliquisque interpretibus plurimis, quos Didymus excepit demum (ut infra ex eorum catalogo apparebit), antiquior esse.

alio quodam interprete citari, praesertim ubi hunc statuas et ipsum doctos illos et antiquos interpretes consuluisse. Quodsi tamen ad haec, ut non tam auguror, quam certo scio, responderi nequit, non liberam judicandi facultatem per tenebras, quibus hic tegantur omnia, nobis ereptam clamitare possumus, sed libere confitendum erit, rem ita fuisse comparatam, ut ne potuerit quidem ita quaeri, i. e. τὸ ὑπόμνημα non ab aliquo antiquo interprete, sed a scholiasta recentiore citatum esse. Tales autem homines si de τῷ ὑπομνήματι loquutos esse dicimus, simili quaestione non jam possumus torqueri; nam per se non est vero dissimile, non plura eis ὑπομνήματα suppetisse, sed unicum tantum; istud autem unicum certumque recte potuerunt (si quis hoc forte nesciat) τὸ ὑπόμνημα appellare.

§. 8.

Alterum quod priusquam cetera persequar convenire mihi cum lectoribus oportere innui, ad eam quae neminem fugit scholiastarum multitudinem pertinet, quorum conjunctae industriae copias nostras servatas debemus. Qui quum numero plures sint, docti indocti, antiqui recentiores, accurati et prudentes vani et stulti, — illud quaeri potest, omnibusne istius ὑπομνήματος copiam fuisse judicem, an uni tantummodo et alteri; tum, si illud, quale fuisse judicaverim ὑπόμνημα, quod et prudentibus et stultis aeque conveniret; sin alterum, quem potissimum ex tanta multitudine hac parte beatum fortunatumque fuisse putem. Ad quae et si qua similiter quaeri possunt, quamquam satis certo ut in tanta rerum obscuritate respondere posse mihi videor, est tamen res majoris moliminis longioremque sibi disputationem postulat, quam qualem hic capiat locus, quo in transcursu paululum subsistentes nonnulla contemplamur obiter; nunc illud tantum moneo quod et facilius est ad demonstrandum et vero etiam brevius doceri potest: ὑπόμνημα illud antiquioribus certe et doctioribus inter scholiastas Aristophaneos ad manus fuisse, nec uni alicui, sed pluribus numero. Etenim si unquam certi quidquam ab externa observationum forma de aetate, non dico suspicari, sed affirmare potuerunt docti, qua illas qui scripserint inter vivos degerint: hic omnia praesto sunt argumenta, quibus dilucide appareat, antiquos fuisse scholiastas, qui ὑπόμνημα istud usurpaverint vel soli vel una cum reliquis: illa dico argumenta, quae petuntur ex callido isto studio, doctrinae alicujus fonte celato, omnem eruditionis laudem sibi vindicandi soli, a quo antiquissimi quique grammatici longissime abhorrebant; tum quae ex nimia ista ducuntur dicamne suspicandi an hariolandi libidine, qua eas ἀπορίας, quarum

λύσεις vel doctissimis grammaticis anxieque omnia antiquitatis monumenta rimantibus tam parum prospere cesserant ut suam ipsi inscitiam ingenue confiterentur, — nonnulli iique nec docti nec accurati quasi quidam vates solius ingenii vanis viribus leviter et arroganter solvere conabantur; cui quidem libidini, quo quis erat recentior aetate itaque minus solida doctrina adjutus, eo saepius et libentius indulgere solebat. Jam contende mihi illud ad Plut. 1037 scholium, unde primum hanc commentarii Aristophanei memoriam instauravimus, cum duobus reliquis quae ad eundem explicandum versum scripta sunt; horum prius ipsum quoque ut in re obscura longe ab omni satis certae sapientiae nimisque sibi ob veritatem inventam plaudentis superbiae specie remotum est; nec qui hoc scripsit priori scholio sua debet, sed eundem potius atque illud fontem usurpavit [1]. Nam secundum scholiastam non exscripsisse priorem illud fidem facit, quod quae de Hyperboli apud Eupolidem matre tradit, paulo sunt a priore scholio diversa. Tota autem secundi scholii conformatio prioris ita est similis, ut non possit utrumque non ex eodem libro depromptum videri; cui ne eam, quam modo attigi, diversitatem opponas: utriusque scholiastae narrationem lepidissimo invento nec indigno illo Eupolidea Musa inter se conciliavit Fritzschius [2], cujus ipsa placet verba apponere: „recte et prior grammaticus prodit, Maricantis parentem cum *τηλίᾳ* comparatam esse, et magis enucleate alter docet, Maricantis ossa in *τηλίαν* injecta fuisse dici. Nam Eupolis Doco pistrinam cum *τηλίᾳ* sic comparaverat ob pinguitudinem, ut ossa Hyperboli in hanc tabulam (*τηλίαν*) injecta fuisse ostenderet, eo videlicet tempore, quo illa foetum conceptum in utero gestasset.“ — Hinc apparet sua utrumque scholiastam scribere potuisse, si eundem uterque fontem usurpabat, non item si posterior priorem exscripsit. — Jam vero vide tertium scholiastam, qui doctum antiquiorum grammaticorum de significatione vocis *τηλία* certamen breviter leviterque ita dirimit, ut *τηλίαν* hic pro *καρδόπῳ* accipiendum esse edicat admistis alienis nonnullis, quae ad ostentandam doctrinam magis quam ad explicandum Aristophanem scripta sunt: ut appareat ultimum scholiastam novitium esse auctorem, reliquos autem duo, qui *ὑπόμνημα* istud usurpabant, ultimo antiquiores. — Similiter de altero

---

1) Itemque alium se quam proprium ingenium ducem sequi indicat, quamquam paululum obscurius; ita enim loquitur: *τηλία ἔχει μέν τι καθ' ἑαυτὸ ἄπορον, ἐὰν δὲ τὸ ἐν Μαρικᾷ προσέλθῃ, ἔνθα εἰς τηλίαν φησὶ τὰ τοῦ Ὑπερβόλου ὀστᾶ βεβλῆσθαι, ἀπορώτερον ἔσται, ζητητέον οὖν κ. τ. λ.* ubi cur nec *φασὶ* corrigere nec *τις* vel *Εὔπολις* addere velim, sed ita statuam, *ὑπομνήματος* auctorem a scholiasta indicari, postea apparebit §. 18.

2) Cf. Fritzsche in Act. societat. graec. I. p. 134.

loco, ubi ὑπόμνημα illud Aristophaneum non adhibitum solum sed etiam indicatum tamquam fons esse videtur, schol. Pac. 742, judicandum esse manifestum fit, si quis quae de eadem re in schol. Vesp. 1035 narrantur in comparationem vocare velit; namque quum duae imprimis ejus versus olim interpretationes increbuisse videamus, alteram nescio nunc quidem cujus, quem tamen ab ὑπομνήματος auctore non diversum esse judico, Didymi alteram, qui suam illam interpretationem doctissime illustraverat: scholiasta Vesp. 1035, quem probabilius saltem est diversum quam non diversum a scholiasta Pac. 742 esse, utramque interpretationem in unam conjunxit et pro suis vendidit, item quam sine dubio Didymo debebat depromptam e Duridis Samii libris, ab ipso scholiasta numquam, mihi crede, usurpatis, de Lamia narrationem ita in rem suam convertit, ut unde ipsi Duridis ejusque historiarum memoria innotuerit studiose celaret, ne quis scilicet dubitaret lectorum, quin cum docto sibi multaeque lectionis viro res esset. — Quae quum ita sint, jure mihi videor affirmare posse, commentarium Aristophaneum toties commemoratum ab eis jam fuisse usurpatum, qui, plures numero, primi et antiquissimi e majoribus et integris copiis decerptas quasdam particulas contextui Aristophaneo ascripserunt, scholiorumque nostrorum auctores extitere principes. — His autem quum unum tantum suppeteret ὑπόμνημα, nae illi, qui post hosce recentiori tempore idem subibant negotium, gratulari sibi poterant, si et ipsi unicum istud ὑπόμνημα nacti erant nec omni ejusmodi carebant auxilio; nedum plura sibi quam antiquioribus illis adjumenta parata fore sperare unquam possent.

§. 9.

Priusquam autem totum hunc locum missum faciam, pauca lubet adjicere, quae egregie meum illud judicium firmare video, quod ipsorum vestigiis scholiorum insistens de ὑπομνήματι isto Aristophaneo tuli. Extat enim in Eustathii, theologorum doctissimi, commentariis ad Homeri Iliadem scriptis haec quantivis pretii observatio, p. 746 B. ed. Roman. = p. 254, 30 Lips.: τὸ δὲ χαίρετον ἀρχαιοτάτη φιλικὴ προςφώνησις ἐπιστολιμαῖός τε καὶ ἑτεροία, ὡς καὶ ὁ κωμικὸς καὶ ὁ κατ' αὐτὸν ὑπομνηματισμὸς ἐν τῷ Πλούτῳ δηλοῖ: quae non est obscurum quin ad schol. Plut. 322 pertineant, ubi tametsi non placuit scholiastae fontem eruditionis suae indicare, non videtur tamen dubitari posse, quin idem illud ὑπόμνημα quode abunde jam disputavimus cum scholiasta hic quoque excerpserit, tum Eustathius innuerit; neque aliter judico de ejusdem Eustathii observatione in Iliad. ϑ, 441. p. 722 Rom. = 221, 31

Lips. quae ita habet: — *καταπέτασμα, ὅπερ ὁ κωμικὸς παραπέτασμα* [1]) *λέγει, δυνάμενον ὡς εἰκὸς ῥηθῆναι καὶ περιπέτασμα, ὡς δηλοῖ ὁ ἐξηγησάμενος παρ' αὐτῷ τό· ὀνόματι περιπέττουσι τὴν μοχθηρίαν*, — ubi respicit ad schol. Plut. 159, ex quo quae huc pertinent apponam: *τὸ δὲ περιπέττειν ἤτοι ἀπὸ τοῦ παραπετάσματος εἴρηται, ἢ ἀπὸ τῶν ζύμῃ τὰ ἄλφιτα περιλαμβανόντων*, — quae ut cum Eustathio conciliaret Hemsterhusius [2]), tantum huic tribuit, ut in scholiasta *ἀπὸ τοῦ περιπετάσματος* corrigendum censeret, quod vereor ut satis recte fecerit; namque ne hoc opponam, ne sic quidem tradere scholiastam, quod demonstratum se invenisse testatur Eustathius, *παραπέτασμα δύνασθαι ῥηθῆναι καὶ περιπέτασμα*, — nihil enim ex Hemsterhusii quidem emendatione tradit scholiasta nisi hoc: *περιπέττειν* hic esse quasi *περιπετάσματι περικαλύπτειν* aut quasi *ζύμῃ περιλαμβάνειν ὡς ἄλφιτά τινα* [3]), id quod in vulgata quoque scriptura tradit, — hoc igitur ne opponam, — quae, malum, audacia est ita statuere, Eustathium ipsum nostrum scholiastam legisse, ut alter ex altero certissima ratione emendari possit? immo si verum fateri volumus quodque ab omni nimia et negligentia et cupiditate aeque abhorreat unice sectamur, non poterit aliter statui nisi ut utrumque dicamus ex eodem fonte sua hausisse [4]), i. e. ex hypomnemate illo Aristophaneo, Eustathium autem integrius quae in illo invenerit rettulisse, scholiastam contra aliquam tantum totius interpretationis summam inde sumpsisse, de singulis quibus firmata erat interpretatio paullulum securiorem. Neque enim quisquam sibi persuadebit facile, alium hic, in

---

1) Aristoph. Ran. 936 Bekk.

2) Hemsterh. ad Plut. p. 49 Lips.

3) Noli enim putare, scholiastam voluisse originationem aliquam formae vocabulique (non significationis) proponere; id refelleret quod statim sequitur: *ἢ ἀπὸ τῶν ζύμῃ — περιλ.* Ergo hoc dicit: das Bild sei hergenommen vom Schleier oder vom Bäcker, non hoc: das Wort *περιπέττειν* sei abzuleiten etc.

4) Non dissimulabo tamen ab eodem Eustathio ad Od. δ. 73 p. 1483 Rom. citari *τοὺς τοῦ κωμικοῦ σχολιαστάς*, ubi aperte respicit ad schol. Equit. 530. Sed eo ne quis propositam supra sententiam propulsare velit, quasi Eustathius illis quoque in locis scholiastas intellexerit ab eis qui in nostris libris sunt diversos, — primum illud moneo, non videri unquam Eustathium *ὑπομνηματισμοῦ* et *ὑπομνηματιστοῦ* honorifico nomine scholiastas aut scholiastarum curas insignivisse; tum quidni possit Eustathius et excerptas ex eo *ὑπομνήματι* observationes (i. e. scholia), et ipsum illud *ὑπόμνημα* trivisse, quemadmodum simile quid in Homero quoque ei accidit, ad quem explicandum (Lehrsio teste, de Arist. p. 40) et scholiorum volumine eorum usus est, quae codex Venetus A habet, et (qui eosdem cum isto volumine fontes sequebatur) Apionis et Herodori commentarium. — Plerumque igitur incertum manebit, ipsumne veterem interpretem an ejus sectatores, scholiastas, sequutus Eustathius sit, ubi eadem fere cum scholiis Aristophaneis tradit; quales locos indicavit Hemsterh. ad Plut. p. 153, 187, 188, 340 etc.

superiore loco alium ab Eustathio significatum commentatorem esse; hunc autem quum in schol. Plut. 322 agnovimus a scholiasta usurpatum, quidni eundem jure putabimus etiam a scholiasta ad Plut. 159 adhibitum esse; quodsi tamen hic scholiasta paululum ab Eustathii narratione recedit, id non poterit alia nisi qua dixi ratione explicari. — In universum autem, — ut cur Eustathii memoriam ad omnem disputationem nostram utilissimam judicaverim tandem aliquando exponam, — ex utroque Eustathii loco illud apparere credo, Eustathium quoque trivisse commentarium aliquem Aristophaneum, qui sua se indole ita habuerit, ut ὁ ὑπομνηματισμὸς simpliciter vocari potuerit; sed hoc fieri potuit ob duplicem causam, aut quod ita clarus erat itaque per omnium ora manusque commentarius ferebatur, ut vel celato auctoris nomine omnes tamen possent quem inter aliquam commentatorum turbam indicare Eustathius vellet intelligere; — aut quod unicus tum iste commentarius superstes erat, reliquis temporum decursu ex hominum manibus animisque elapsis, isque satis tritus et Eustathio certe ut unicus in suo genere notus. Harum autem denominationis istius causarum quum ultima procul dubio sit probabilior, Eustathii memoria haud levem iis addit vim, quae supra explanavi: scholiastis Aristophaneis unum tantum in interpretando commentarium suppetisse, eumque a pluribus comici scholiastis adhibitum videri.

§. 10.

Redeo in viam, ubi statim nova animum advertit quaestio perquam illa difficilis: quid de amplitudine ὑπομνήματος judicandum sit quotque in eo fabulae explanatae videantur; quode plene apteque ad persuadendum disputari nequit, nisi prius ex parte saltem in scholiorum Aristophaneorum hodie superstitum naturam rationemque altius a nobis inquisitum erit; aperta enim quaeque in medio posita sunt si rimarer sola, non liceret quicquam affirmare, nisi ad Plutum Pacemque, ad summum etiam ad Vespas et Aves fabulas propter scholia §. 5. enumerata, istud ὑπόμνημα pertinuisse. — Sed si quis accuratius et ad talia intentus scholiorum congeriem pertractaverit, hoc non fugiet opinor quemquam quod satis est memorabile: saepissime lectores in scholiis ad alias in aliarum Aristophanis fabularum interpretatione propositas observationes remitti ad eaque vel rectractanda animo vel ante uberiorem expositionem aequi bonique consulenda tenendaque invitari, quae vel antea exposita sint vel postilla tractentur accuratius. Quae quidem interpretandi ratio quamquam non ab omnibus quae aetatem tulerunt scholiorum collectionibus prorsus

aliena est, tamen neque aliam ullam hodieque extare arbitror collectionem in qua frequentius istud interpretandi genus conspiciatur quam in Aristophaneorum scholiorum congerie, neque, ubi invenitur, omni probabilitatis specie destituta est suspicio, ejusmodi scholia ex uberioribus antiquiorum grammaticorum copiis fluxisse, qui perpetuo commentario (ut hodie loqui amant parum latine) scriptorem explanaverint, neque eam ad alias in eodem scriptore propositas observationes amandandi consuetudinem a novitiis demum interpretibus, scholiastas dico, invectam esse, qui nisi egregie fallor tametsi frustula ubique et lautarum dapium fragmenta apposuere, tamen haec ipsa frustula denuo dissecare minutim dissectaque alia alibi proponere minus studebant, quam in unum omnia quae scirent locum conferre, neque tanta unquam agebant accuratione, ut bis terve eadem se tractasse necessarium ducerent monere. — Sed quae alibi non improbabilis fortassis est suspicio, in ejus locum in Aristophaneis scholiis succedere potest perseverans affirmatio. Primum enim illud considera: citantur in scholiis commentarii ad unam alteramve Aristophanis fabulam conscripti, quae fabulae, si quid veterum scriptorum rariori earum memoriae tribui potest, tum si ex codicum nostrorum vel vetustissimorum et ditissimorum penuria fabularum certi quidpiam colligi licet, — non solum hodie inter deperditas numerari debent, sed vel antiquioribus multo scholiastarum temporibus dudum desierant legi atque describi, Holcades dico et Danaides; nam quod Hemsterhusius [1]) Pelargorum quoque citari commentarium aliquando putabat in schol. Plut. 665: *Νεοκλείδης εἰς πολλὰ κεκωμῴδηται, εἰς ῥήτορα, καὶ τὰ δημόσια κλέπτοντα, καὶ ξένον, καὶ τὰς ὄψεις λελωβημένον. εἴρηται δὲ καὶ ἐν Πελαργοῖς περὶ αὐτοῦ, ὅτι ῥήτωρ καὶ συκοφάντης,* — mirum est hoc placuisse cui raro aliena placent, F. V. Fritzschio [2]), cujus quidem assensum si loquendi usus qualis in hisce scholiis obtinet retardare non poterat [3]), certe ipsius scholii forma debebat cohibere; quum enim semel dixisset scholiasta: *κεκωμῴδηται εἰς ῥήτορα*, ex parte saltem plane superfluum erat addere, in commentariis ad Pelargos quoque legi, Neocliden **rhetora** et sycophantam fuisse, praesertim ipsius fabulae versibus omissis. Praestabat igitur in altera Hemsterhusii explicatione acquiescere, „ipsum Aristophanem *ἐν Πελαργοῖς*

---

1) Hemsterh. ad Plut. p. 223, b. Lips.

2) Fritzsche, de Aristoph. Pelargis, in Quaest. Aristoph. I. p. 87.

3) Sunt enim satis certa exempla, quibus ejusmodi quas hic sequimur formulis, *εἴρηται* etc., etiam ad ipsum contextum, non ad commentarios respicere solitos scholiastas esse appareat; cf. modo schol. Th. 1032, Av. 1442, Eq. 883, imprimis autem schol. Vesp. 60: *ἐν τοῖς πρὸ τούτου δεδιδαγμένοις δράμασιν — πολλὰ προείρηται.*

Neoclidae meminisse tamquam rhetoris et sycophantae," itaque statuere, quemadmodum rhetoris vituperium scholiasta hausit sine dubio e Plut. 725 vel Eccles. 397, lippitudinis hebetiorumque oculorum [1]) ex Eccles. 255, 397 sq. Plut. 665, 747, rapacitatis ex parte saltem ex Plut. 665, *ξενίας* [2]) ex alia notiore fabula nescio qua, ita eundem, in Pelargis ut *ῥήτορα* et *συκοφάντην* derisum ab Aristophane Neoclidem, vel suis oculis legisse vel aliis qui legerint credidisse, nomenque fabulae addidisse, quod non admodum nota ea et trita fuerit. — Itaque nos quidem non nisi duas ex deperditis Aristophanis fabulis qui commentariis olim instructae fuerint nominare possumus, Danaides et Holcades, quarum haec memoratur in schol. Lysistr. 722: *τροχιλίων δέ ἐστιν ὁ τροχὸς τοῦ ξύλου τοῦ φρέατος, δι' οὗ ἱμῶσι. δεδήλωται δὲ περὶ τούτου καὶ ἐν Ὁλκάσιν*, — et disertius in schol. Av. 1283: *τοῦ δὲ σκυτάλιον τὸ α ἐκτείνεται, ὡς ἐν Ὁλκάσι, ἔνθα καὶ τὸ Νικοφῶντος ἐξ Ἀφροδίτης Γονῶν παρετέθη* [3]) *κ. τ. λ.* Alterius autem fabulae commentarius in partes vocatur schol. Plut. 210: *Λυγκεύς, ὡς αὐτὸς ἐν Δαναΐσι φησίν, υἱὸς Αἰγύπτου. ἐροῦμεν δὲ ἐκεῖ τὰ περὶ αὐτοῦ, ἐπεὶ δοκεῖ παρ' ἱστορίαν λέγειν*, — cui in ea de qua dixi re fidem habuit Dindorfius [4]), non item Fritzschius [5]) et acutissimi vir ingenii, F. Rankius [6]), quorum duumvirorum priorem non moramur amplius, quum nihil nisi „incertum esse" dixerit, „utrum iste homo scholia vere scripserit, an tantummodo voluerit scribere," de causis argumentisque ejusmodi judicii solito hic taciturnior; Rankii vero dissensus suspicione nititur, verba quibuscum nobis res est, non veteris alicujus scholiastae, sed Thomae Magistri esse, quem sane parum credibile est vidisse Danaides fabulam, nedum commentario ornasse; consentaneum autem erat in eam suspicionem labi postquam semel sibi persuasit Rankius, „Thomam Magistrum ad Plutum, Nubes, Ranas annotationes scripsisse, et crebro in posterioribus fabulis ad ea quae antea dicta sint provocasse" [7]), commentariosque Thomanos aliquam esse scholiorum Aldinorum partem. Qua in re solitam equidem viri crisin desidero, quem ab isto judicio non deterruerit ceterarum contemplatio fabularum, a Thoma quidem, ipso fatente Rankio, non explicata-

1) Quod enim scholiasta *τὰς ὄψεις λελωβημένον* fuisse Neoclidem narrat, nihil videtur nisi lippitudinem indeque profectam oculorum hebetudinem significare voluisse.

2) Hoc vituperium repetitum legas in schol. Eccles. 254.

3) Ea vox ubique commentarios innuit; vide Valckenar. ad Ammonium p. 117.

4) Dindorf. Fragm. Aristoph. p. 126.

5) Fritzsche Quaest. Arist. l. l.

6) Ranke de Aristophanis vita, I. p. CLXXV.

7) Id. ibid. p. CLXXI.

rum, sed quarum tamen scholia itidem ejusmodi provocationibus referta sunt; sin vero hoc sibi voluit, in nonnullis scholiorum locis Thomam, in reliquis alios scholiastas ad priores observationes provocasse, tum in universum demonstrandum erat, quibus argumentis illud nitatur, Thomae scholia inter Aldina legi, quibusque indiciis Thomae provocationes a reliquorum discerni possint, tum cur in schol. Plut. 210 Thomae verba deprehendisse sibi videatur. Ita apparet, Rankium revera hic quidem eodem loco esse atque Fritzschium nosque eum itidem ob eandem causam morari non posse. — Nisi igitur satis gravia contra scholii fidem argumenta afferantur, — qualia num afferri possint valde dubito, — tuebimur cum Dindorfio commentarium in Danaides, neque — ipsum si haberemus — in posterum nos transmissos a scholiasta tempus esse, quo observationem satis fortasse bonam utilemque perciperemus, magis ferremus graviter, quam quod eadem fecit auctor scholii Vesp. 1446: — τοῦ περὶ τοῦ κανθάρου μύθου καὶ ἐν Εἰρήνῃ μέμνηται — ὁ ποιητής. — ἐκεῖ δὲ τὰ εἰκότα λεχθήσεται, quem Fortuna Paci ejusque comitatui favente, at contra Danaides ἀνδροκτόνους iniquiore, fidem praestitisse videmus ad Pac. 130 Bekk. —

§. 11.

Verum etsi duas tantummodo e deperditis fabulas nominatim appellare potuimus, quae olim commentariis instructae fuerint, non potest tamen dubitari, quin aliarum quoque fabularum hodie deperditarum commentarii passim respiciantur in eis scholiorum locis, ubi ad observationem aliquam remittimur, quae nec invenitur hodie in nostra sylloge, nec in superstitum fabularum interpretatione locum commode habere potuit, siquidem talis erat interpretatio, quae (ut nobis quidem persuasimus) non persequeretur nisi quae cum poetae verbis arctiore quodam vinculo conjuncta essent [1]). Huc pertinere videntur, quae in schol. Acharn. 106 prostant: ὅτι πάντας τοὺς Ἕλληνας Ἰάονας οἱ βάρβαροι ἐκάλουν προείρηται. nam ne quis suspicetur, ad commentarium versui 104 ascriptum hoc referendum esse, — quamquam ibi nihil hodie de ea re extat, — ea subjungam, quae in eodem ad v. 106 scholio adjecta leguntur: τὸ δὲ αυ ἀντὶ τοῦ οὐ βαρβαρίζων ἔφη, unde apertum est, non ad v. 106 totum scholium antiquitus scriptum fuisse, quippe qui ita habeat: ὅ τι; χαυνοπρώκτους τοὺς Ἰάονας λέγει, sed ad v. 104: οὐ λῆψι χρῦσο χαυνοπρῶκτ' Ἰαοναῦ, praesertim quum ibi

1) Id jam supra professi sumus. habemusque in ea re assentientem nobis Fritzschium, de Pelargis p. 87.

quoque de *αὖ* moneat scholiasta [1]); quodsi verum est, primum duo olim scholia ad v. 104 extitisse consequitur; tum [2]) scholiastas versum istum ita scriptum invenisse: *αὖ λῆψι χρῦσο χαυνοπρῶκτ' Ἰαοναῦ;* — postremo, id quod cummaxime ad rem nostram spectat, nihil in Acharnensium quidem fabula praecedere, ad quod observatio ista de generaliori vocis *Ἴωνες* notione referri possit; atqui ne in ceteris quidem quae supersunt fabulis enucleandis apte legi potuit, ut statuendum sit necessario, scriptam eam observationem esse in commentario ad aliquam fabulam, quae hodie inter deperditas numeratur. — Imprimis autem ad id quo tendo persuadendum aptum est schol. Vesp. 579: *ὅτι τραγικὸς ὑποκριτὴς ὁ Οἴαγρος, εἴρηται πρότερον.* nusquam enim in superstitibus Aristophanis fabulis Oiagri memoria repetita est, ut in scholiis quoque nostris aptum locum invenire non potuerit, sed in deperditae alicujus fabulae interpretatione oporteat pluribus fuerit exornata. — Ejusdem prorsus generis est schol. ad Av. 764: *Ἐξηκεστίδης] πολλαχοῦ προείπομεν ὅτι ξένος οὗτος.* at in nostris fabulis praeter Av. 764 non perstringitur iste homo nisi Av. 11 et 1527, scholia autem ad Av. 11 tantummodo ejus historiam enarrarunt, ut utrum de superstitum fabularum commentariis illud *πολλαχοῦ προείπομεν* valeat, an deperditarum interpretatio comoediarum in auxilium vocari debeat, non possit quisquam magnopere haesitare. Porro quum Aristophanem semel tantum ad scolion *παῖ Τελαμῶνος* allusisse videamus hodie, in Lysistr. 1237, mirum esset in scholio ad istum locum legi: *ἀρχή τινος σκολίου, περὶ οὗ δεδήλωται ἤδη,* nisi ad deperditas fabulas eorumque commentarios respexisse scholiastam probabile esset. — Sed plura ex hoc genere afferendi facile reprimo pruritum, ne, semel lapsus, fidem ipse ceterorum, quae alioquin non vacillatura arbitror, minuisse videar. Possim autem in ea re labi facillime, quum nonnullas observationes quas alibi se fatentur proposuisse scholiastae aut elusisse meam oculorum aciem facile crediderim, revera hodieque servatas, aut non extare quidem hodie, sed ex superstitum fabularum commentariis aut temporis injuria aut consilio hominum excidisse [3]); hinc

1) Schol. ad Ach. 104: *ὡς βάρβαρος δὲ τὸ αὖ ἔφη, Δωρικὸν ἀντὶ ἑλληνιζομένου,* quorum licet corruptio sit manifesta, non est tamen ab editoribus medela subministrata; potest autem ita scribi: — *βαρβαρικὸν ἀντὶ ἑλλ.* quamquam latet fortasse aliquid exquisitius.

2) Nisi praestare judices in scholio scribendum esse: *αὖ ἀντὶ τοῦ ες, Ἰαοναῦ* pro *Ἰάονες.*

3) Hujus generis certissimum exemplum habemus in schol. Lysistr. 801: *δύο Μυρωνίδαι ἦσαν, ὡς ἐν ταῖς Ἐκκλησιαζούσαις δεδήλωται.* Sed in schol. ad Eccles. 303, ubi ab Aristophane alterius tantum Myronidis mentio facta est, nihil ejusmodi hodie invenias. — Praeterea incertum nonnumquam est, ad commentarium an ad ipsius fabulae versus respexe-

nihil nunc in rem meam colligam ex hisce scholiis, quibus qui velit uti poterit: schol. Nub. 254; Plut. 720; Ran. 1502; Acharn. 925; Equit. 447; ibid. 448; ibid. 898; Vesp. 106; ibid. 947; Av. 487, — quibus locis omnibus quae alibi in Aristophanicis pertractata dicuntur equidem hucusque quaesivi frustra, quem alia non fugerunt; ita, ut his utar, non latuit me, scholiastam, qui ad Equit. 1011 haec scripserit: *περὶ δὲ τοῦ ἐν Δελφοῖς τρίποδος εἰς ἀναπλήρωσιν τῶν ἐν τοῖς ἐς τὸν Πλοῦτον λεχθέντων οὐ χεῖρον καὶ τὰ παρὰ Πλουτάρχῳ ἱστορηθέντα ἐν Σόλωνι* [1]) *κἀνταῦθα παραθέσθαι*, — eum igitur respexisse ad schol. Plut. 9; qui ad eandem fabulam posuerit haec v. 1095: *ἰαμβικὸν παρῴδησεν Σοφοκλέους, ὃ δὴ καὶ ἐν Νεφέλαις παρέθημεν*, eum in animo habuisse suum ad Nub. 1399 commentarium; qui ad Vespas dixerit v. 1203: *ὅτι ἠγωνίζοντο δρόμῳ λάμπαδας ἔχοντες ἐν τῷ Κεραμεικῷ, φανερὸν ἐκ τῶν εἰς Βατράχους*, — eum intellexisse schol. Ran. 131 et 1091; porro scholiastam Acharn. 359, quum ista moneret: *Κυκλόβορος δὲ ποταμὸς ἐν Ἀθήναις χείμαῤῥος, ἀγὰν ἠχῶν, ὡς ἐν τοῖς εἰς τοὺς Ἱππεῖς εἴρηται*, — repeti memoria voluisse schol. Equit. 137; tum respexisse scio schol. Ran. 1246 ad schol. Plut. 143; schol. Pac. 979 ad schol. Ach. 859; schol. Eq. 949 ad schol. Ran. 134; schol. Vesp. 333 ad schol. Eq. 1146 vel 1329; schol. Vesp. 496 ad schol. Equit. 675; schol. Vesp. 1195 ad schol. Ach. 1098; schol. Vesp. 1206 ad schol. Ach. 210; schol. Av. 749 ad schol. Ran. 13 vel 687; schol. Eccles. 332 ad schol. Ran 46; schol. Plut. 973 ad schol. Plut. 277 [2]); — quae omnia, fatebor enim, facilius poterant inveniri, quoniam scholiastae fabulam simul indicaverant, in qua cujus recolere nos memoriam jubent observationem litteris consignassent. Sed idem tamen haec quoque inveni, ad quae reperienda nihil contulerunt ipsi scholiastae: schol. Ran. 1157 respicere ad schol. Plut. 25; schol. Pac. 973 ad schol. Pac. 776 vel 779; schol. Pac. 1013 ad schol. Pac. 458; schol. Pac. 1193 ad schol. Pac. 1;

---

rint scholiastae (cf. p. 32 not. ult.). Nec illud raro videtur in scholiis factum, ut quum duo de eadem re scholia e diversis codicibus a collectore aliquo reciperentur, unum tantum integrum reciperetur, alterum autem ita, ut ea tantum, quibus differebat a priore, notarentur, reliqua autem brevi nota *ὡς εἴρηται* indicaretur in hoc quoque scholio esse; hoc attingere videtur schol. Av. 1297 (de quo cf. infra §. 24), schol. Eq. 84, et alia fortasse plura.

1) Ita scripsi Küstero obsequutus.

2) Ultimum accedit e cod. Parisin. cui in talibus non multum tribuendum esse, supra monui. Et hic quidem etiam illud fidem minuit, quod scriptum in isto scholio (ad v. 973) ita est: *ἔμπροσθεν τὴν ἱστορίαν εἴπομεν εἰς τὸ· ἐν τῷ σορῷ νυνὶ λαχὸν τὸ γράμμα σου* (v. 277); *τὸ ἔμπροσθεν* enim apud optimos quosque grammaticos vocari, „quod infra dicendum erit,“ Lobeckius demonstravit, ad Phrynich. p. 11.

schol. Eq. 395 ad schol. Eq. 62; schol. Eq. 704 ad schol. Eq. 367; schol. Eq. 1085 ad schol. Eq. 103; schol. Vesp. 418 ad schol. Vesp. 42 et 43 vel Ach. 134 vel Eq. 606 [1]); schol. Vesp. 592 ad schol. Equit. 1290 vel 1369 vel Nub. 352 vel ibid. 670 vel Ach. 88 [2]); schol. Vesp. 649 ad schol. Ran. 506; schol. Vesp. 830 ad schol. Vesp. 386; schol. Vesp. 836 ad schol. Vesp. 240; schol. Vesp. 1007 ad schol. Nub. 1048 vel schol. Ach. 811; schol. Vesp. 1270 ad schol. Nub. 110; schol. Vesp. 1386 ad schol. Ach. 525 [3]); schol. Plut. 149 ad schol. Plut. 179; schol. Plut. 351 ad schol. Plut. 69; schol. Av. 78 ad schol. Equit. 979; schol. Av. 857 ad schol. Pac. 916; schol. Av. 1126 ad schol. Av. 822; schol. Eccles. 361 ad schol. Vesp. 155; schol. Plut. 303 [4]) ad schol. Plut. 179; schol. Pac. 117 [5]) ad schol. Plut. 394, Ran. 189, Nub. 134; schol. Pac. 1260 ad schol. Vesp. 19, ibid. 592, Eq. 1290, ibid. 1369, Nub. 352, 670 [6]); schol. Nub. 65 ad schol. Nub. 49; schol. Pac. 768 ad schol. Vesp. 1509; schol. Pac. 855 ad schol. Ach. 146; schol. Pac. 1025 ad schol. Pac. 1011; schol. Vesp. 1529 ad schol. Vesp. 1517; schol. Av. 922 ad schol. Nub. 1133; postremo aliquo quem oblitus sum loco saepius monuisse se dicit inter-

---

1) Sed in istis scholiis partem tantum (de solo Theoro) invenies eorum, de quibus pridem se exposuisse schol. Vesp. 418 affirmat: *περὶ Θεώρου καὶ Γοργίου ἐν τοῖς πρὸ τούτου εἴρηται*, quem cur ad schol. Av. 1699 (ubi de Gorgia) non credam respexisse, postea apparebit, §. 14.

2) In his quoque scholiis non omnia invenientur, quae alibi observata monet schol. Vesp. 592; nihil enim de Cleonymi studio adulandi neque ibi expositum invenies, neque in hisce scholiis, quae consulto omisi alia ex alia causa: schol. Pac. 1260, 656, 1236; Av. 290, 1473, 1474; Eq. 1290; Vesp. 822; Av. 288.

3) Non ad schol. Pac. 533, quod cur minus credibile censeam, exponam postea, §. 14.

4) Siquidem verum est, quod rescribendum ibi censeo: *δῆλον δὲ ἐκ τῶν περὶ Φιλωνίδου διειλημμένων*, in libris est· *ἐκ τοῦ — διειληφέναι.*

5) Schol. Pac. 117: *πολλάκις εἴπομεν, ὅτι* (hoc addendum) *εἰς κόρακας ἔλεγον οἱ παλαιοί, καὶ τὴν ἐπὶ τούτῳ ἱστορίαν διηγησάμενοι* (scrib. *διηγησάμεθα*). Totum scholium accessit e codice Veneto. — Ceterum quod *εἰς κόρακας* legimus apud scholiastam, constat hodie non *εἰς κόρακας*, sed *ἐς κόρακας* cum reliquis Atticis omnibus (cf. Reisigii Conjectan. Arist. p. 252) Aristophanem quoque dixisse: cf. Meier. de Arist. Ranis Comment. I. p. VIII. Quod quum Reisigius observaret, inscius antiquam veterum grammaticorum observationem instauravit; vide enim Helladii Chrest. apud Phot. bibl. p. 535, b, ed. Bekk.: *ὅτι οἱ Ἀττικοὶ κατά τι πάτριον ἔθος οὐ χρῶνται τῇ ει διφθόγγῳ ἐν τῷ λέγειν ἐς κόρακας ἢ ἐς μακαρίαν, ἀλλ' ἄνευ τοῦ διχρόνου ἐκφωνοῦσι τὴν πρόθεσιν.*

6) Cf. not. 2. — Avium scholia quae huc faciunt, consulto omisi. — Praeterea de universo indice illud moneo, — ne cui negligenter in conficiendo eo versatus videar, — schol. Av. 487 non ad aliquam quae alibi proposita sit observationem (quales solas in indice nostro venati sumus) respicere videri, sed ad ipsa quae praecedunt ejusdem scholii verba. — Praeterea cf. p. 35 not. 3 extr. De scholl. autem Pluti 782 et Vesp. 822 postea exponam, §. 14.

pres, μὴ interdum poni pro οὐ, estque talis observatio etiamnum in schol. Av. 109, propter quam abeat — non quidem Marboniam, sed Alabandam, ubi si utatur ipse isto soloecismo, quos alioquin ubique inveniet reprehensores, reperiet nullos, si Stephano Byzantio fides sub Ἀλάβανδα.

§. 12.

Atque haec quidem omnia quum in unum coegerim, nolim apud quemquam in obscurae diligentiae (ut ille ait) vituperium incurram, quam fructuosam fore disputationi meae ita mihi persuasi, ut non videar ab ea opinione divelli posse. Quid enim? ista tam multa qui liber ab omni praejudicata opinione accurate contemplatur, qui poterit serio statuere, a scholiastis ejusmodi provocationum originem esse repetendam, quorum diligentia, si qua erat, non tam in aliorum succurrendo memoriae placere sibi potuit, sed iis ipsis prospiciebat solis quibus innata erat, i. e. in suum proprium usum scholiastae scripserunt magis, quam ad docendos alios [1]); ut ter quaterve quidem eos semet ipsos ad aliam observationem ab ipsis alibi propositam remisisse credibile sit, sed non quadraginta amplius locis, nec cogitari facile possit, in duas partes longo intervallo disjunctas eandem eos observationem dispescere maluisse, quam in unum locum totam cogere: quippe hac ratione suae utilitati, quam unice sectabantur, prospiciebant optime, illa minime consulebant, sed sibimet impedimenta obstruebant ipsi. — Porro, quacunque tandem aetate vixerunt qui primi scholia ad contextus oram adscribere coeperunt, — quam aetatem nemo facile quovis pignore contendat nimis antiquam fuisse, — estne magis credibile, scholiastas tot vel servatas vel deperditas hodie Aristophanis fabulas legisse et interpretatos esse, quam eosdem Eupolidis quoque, Cratini aliorumque non comicorum solum, sed ceterorum etiam scriptorum antiquissimorum qui in scholiis citantur opera trivisse mani-

1) Semel monuisse satis est, ubicunque de scholiis et scholiastis loquimur, eorum nos intelligere labores, qui quae ad interpretandum scriptorem aliquem afferebant, undeunde haec fuerunt depromta, non in proprio aliquo libro eoque arte quadam et continuitate scripto exposuere, sed in margines codicum conjiciebant. Quod qui faciebant non dubitandum quin id sua magis quam aliorum causa fecerint. — Ceterum nolim quisquam putet, in nimis angustum orbem utriusque vocabuli (scholii et scholiastae) significationem omnem me coegisse, quum ultro largiar, si etymon consideres scriptorumque nonnullorum usum, etiam honorificentiore significatione utramque vocem et potuisse usurpari et revera usurpatam esse. Sed ea disputationem nostram non attingit, in qua nolumus de aliis atque quos significavi scholiastis disserere. Id qui non debuisse me nolle putat, ei demonstrandum erit, veteres quoque illos ὑπομνηματιστὰς non in peculiaribus libris, sed in marginibus codicum interpretationes suas exposuisse.

bus? — eos scriptores quum nemo facile existat hodie qui ex antiquiorum et doctiorum copiis grammaticorum innotuisse scholiastis Aristophaneis negare velit plerosque omnes, — cur minus credibile possit videri, multas Aristophanis quoque fabulas scholiastas non vidisse, neque igitur commentarios in eas scribere potuisse, ad quos in eis quas habebant fabulis explicandis respicere potuerint, — praesertim quum ex antiquissimis nostris optimaeque notae codicibus non fallax derivari queat judicium, quam antiquis temporibus Aristophanearum fabularum maxima pars interierit. Tum eadem illa codicum contemplatio id quoque docet, rarissime vel eas quas hodie servatas nobis gratulamur fabulas junctim antiquitus descriptas fuisse omnes, adeo ut continuam quoque omnium interpretationem, cujus vestigia in provocationibus illis hodieque conspicimus, scholiastae vix scribere possent, quippe quorum interpretatio cum ipsarum fabularum contextu in ejusdem voluminis ambitu conjuncta esset, nec ultra eas fabulas progrederetur, quae in cujusque codice junctim descriptae erant.

Sed alia simul ex isto indice mihi subnata observatio est, qua non minus certo illud me persuasurum spero, non a scholiastis profectam esse istam ad aliorum quam qui tractantur cummaxime locorum interpretationem amandandi consuetudinem. Neque enim, si quis attendere velit, fugiet quemquam, alium in interpretando fabularum ordinem secutos esse scholiastas atque quem ratio temporum, quibus doctae erant fabulae, commendabat, quemque in ipsarum fabularum scholiorumque contextu edendo Bekkerus nuper sequutus est; — unde quid colligi possit priusquam demonstrare conabor, uberiore de ipso illo ordine disputatione non potero supersedere.

§. 13.

Ordiamur autem investigaturi ordinem ab Acharnensibus et Equitibus, quas inter omnes quae supersunt Aristophanis fabulas primas in scenam datas esse constat, et ita quidem, ut Equites totius anni intervallo priorem, Acharnenses, exceperit; sed eam temporis rationem in commentariis minime fuisse observatam, disertum habemus testimonium in schol. Acharn. 359, quod jam supra apposuimus: *Κυκλόβορος δὲ πόταμος ἐν Ἀθήναις — ὡς ἐν τοῖς εἰς τοὺς Ἱππεῖς εἴρηται* [1]), unde non potest non colligi, Acharnen-

1) Disertum hoc dixi testimonium esse, nec minus diserta reliqua, quibus ordinem istum eruam, testimonia habere videbor, etsi Lehrsius, Quaest. epic. p. 37 seq., monuit, nihil magis ambiguum istis perfectis esse, quibus, ut hoc utor, Eustathius in commentario Homerico ad Dionysii, in Dionysiaco ad Homeri commentarium lectores remisit. At pri-

sium commentarios post Equitum fuisse collocatos. Sequuntur deinde ex temporis ratione Vespae et Pax, actae Olymp. 89, 2, et Ol. 89, 3, — nostras enim Nubes non Olymp. 89, 1, quod didascaliae affirmarunt, actas sed partim post Olymp. 89, 4 scriptas esse, verissime contendit Hermannus [1]), — quarum fabularum prioris quum post Acharnenses collocatum olim commentarium fuisse ex schol. Vesp. 1195 (coll. schol. Ach. 1098) et schol. Vesp. 1206 (coll. schol. Ach. 210), item, ni fallor, ex schol. Vesp. 1386 (coll. Ach. 525) appareat, quumque commentarius ejusdem Vesparum fabulae secundum schol. Vesp. 1446 (coll. Pac. 130) Paci praecesserit, manifestum est, quattuor illas comoedias hoc ordine olim fuisse explicatas: Equites, Acharnenses, Vespas, Pacem. — Proxima deinde tempore Avium fabula est, quippe acta Olymp. 91, 2, cujus commentarium proxime olim antecessisse Thesmophoriazusis posthabita temporum ratione, jure colligere videor ex schol. Thesmoph. 162 *ἐν τῷ πρὸ τούτου δράματι, τοῖς Ὄρνισι, παρῴδηται κ. τ. λ.*; nam quod Dindorfius [2]) ad tempus hoc retulit, quo Thesmophoriazusae, ut proxima post Aves, acta sit, etsi hoc per se non incredibile est scholiastam ea ratione indicare potuisse [3]), tamen Hanovius demonstravit [4]), Thesmophoriazusas, actas illas Olymp. 92, 2, post Lysistratam demum in scenam datam esse, quippe quam non dubia temporis indicia ad Olymp. 92, 1, referendam suadeant; adeo ut ne potuerit quidem commode affirmare voluisse scholiasta, quod Dindorfius sibi persuasit. Sed si quaeritur, ipsum illud fabularum par quem locum in interpretatione illa continua tenuerit, certi nihil praeter id unum affirmare potero (ad quod inveniendum schol. Av. 857 (coll. schol. Pac. 916) viam monstrabat), post Pacem, ideoque etiam post Equites, Acharnenses, Vespas utramque fabulam fuisse explicatam; illud autem incertum manebit, Ecclesiazusae et Lysistrata — hoc enim ordine hae duae fabulae in sylloge olim legebantur explicatae, secundum schol. Lysistr. 801 (coll. Eccles. 303), — num ante Aves an post Thesmophoriazusas demum positae fuerint; quid quod ne illud quidem non cogitari possit, vel utramque fabulam (Eccles. et Lysistr.) vel Ecclesiazusas certe Paci praecessisse? Quod enim solum hac in

---

mum non item ambiguum arbitror futurum esse (e. g. λεχθήσεται) aut ejusmodi perfectum quale hoc est: προείρηται. tum caute ille adjecit, circumspiciendum quo singulorum consuetudo inclinet; quod quum nos fecimus, legitime positum in scholiis Aristophaneis perfectum vidimus; sed vide tamén §. 14.

1) Hermann. Praefat. Aristoph. Nub. p. XIII. ed. alt.

2) Dindorf. Addend. ad Aristoph. Fragm. p. III.

3) Cf. enim schol. Vesp. 60, prolatum supra p. 33 not. ult.

4) Hanov. Exercit. crit. in Comic. I, cap. 8.

re ad manus est testimonium, schol. Eccles. 361 (coll. Vesp. 155), nihil docet nisi post Vespas explicari Ecclesiazusas solitas fuisse. — Supersunt Plutus, Nubes, Ranae, longo illae inter se temporis intervallo commissae, sed in collectione tamen, cujus in scholiis ratio habita est, junctim positae; nam unamquamque ante Equites locum in interpretatione nactam esse apparet ex schol. Eq. 1011 (coll. schol. Plut. 9), schol. Equit. 1095 (coll. Nub. 1399), schol. Eq. 949 extr. (coll. Ran. 134); quem autem singulae locum tenuerint non certo scio, nisi quod hoc scio, Ranas secundum schol. Ran. 1246 (coll. schol. Plut. 143) post Plutum explicari solitas fuisse, itemque etiam post Nubes, si in tanta obscuritate conjecturae locus dabitur, quam suppeditabat mihi schol. 2 ad Ran. 1298: *Μέλιτος*] *προείρηται, ὅτι τραγικὸς ποιητὴς ὁ Μέλιτος. οὗτος δέ ἐστιν ὁ Σωκράτη γραψάμενος.* tragicum illum [1]) intelligit, notatum ab Aristophane etiam *ἐν Γεωργοῖς* et *ἐν Πελαργοῖς* [2]), itemque *ἐν Γηρυτάδῃ* [3]), quibus fragmentis merito major in scribendo apud Aristophanem nomine auctoritas ab editoribus tribuitur in Ran. 1298 Bekk. quam codici Mutinensi apud Bekkerum, var. lect. ad Ran. l. l., eam ipsam formam subministranti, quam scholiasta tenuit [4]). Sed de eodem homine disputat etiam schol. ad Nub. 617, quamquam poetam fuisse eum nec hodie ibi traditum est nec olim potuit commode in ampliore opere traditum esse. Commodissimus autem ejus memoriae locus videtur hypothesis aliqua Nubibus praefixa fuisse; quales quum etiamnum videamus de isto homine monuisse, ut Socratis accusatore [5]), quidni probabile sit, in ampliore aliqua ad eam fabulam hypothesi eundem hominem fuisse paulo accuratius descriptum? Ergo ab hac quidem parte recte videor statuere posse, in schol. Ran. 1298

---

1) Fuit quum utrumque hominem, Melitum et Meletum, poetam tragicum et Socratis accusatorem, diversos putarem homines esse, etsi plerosque omnes (uti Hoelscherum quoque meum, de Lysia p. 68) aliter statuere videbam, praeter Groen. van Prinsterer, Prosopogr. Platon. p. 165, cui quae C. G. Cobet objecit (Prosopogr. Xenophont. p. 85. not. 46) nimis sunt levia. Vulgaris sententia imprimis videtur niti loco Platonis, Apolog. Socrat. §. 10, p. 169 Engelhardt. *Μέλητος μὲν ὑπὲρ τῶν ποιητῶν ἀχθόμενος κ. τ. λ.* — cujus tamen vim non una ratione licet debilitare. — Sed de his quid statuendum sit, brevi, spero, demonstrabit Fritzschius.

2) Cf. schol. Platon. p. 330 Bekk. sive Dindorf. frag. Arist. p. 101 et p. 166 (Fritzsche de Pelargis p. 44 seq.).

3) Cf. Athen. XII. p. 551, A, sive Dindorf. l. l. p. 107.

4) Eadem in scribendo varietas ubique redit; sed *Μέλητος* dudum praetulisse Bentlejum (Respons. ad Boyle p. 167 Lennep.) monuit Cobet l. l. p. 84 not. 43. Bentleji judicium firmat Codd. Mss. auctoritas; cf. Bekker. Com. crit. in Platon. I, p. 124 med. coll. Clint. Fast. Hellen. p. XXXV not. 6. Krüg.

5) Cf. hypothes. Nub. II et IV ed. Bekk.

respici hypothesin aliquam Nubium [1]); restat igitur, ut non insolitam ejusmodi provocationem in nostris esse scholiis doceam. Habemus autem simile exemplum in schol. Av. 997: *καθεῖται ὁ Μονότροπος ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ Χαβρίου, ὡς εἴρηται* [2]), quibus ad hypothesin Avium provocari certum est; et hodieque ista ibi servata sunt. Sed similius etiam alterum est exemplum in scholio codicis Veneti ad Pac. 252, si quidem mendo ibi libera ista sunt: *θέασαι ὅτι — παρατηρήσαμεν ἐν τοῖς προλαβοῦσι τὴν ἐξήγησιν*, et hunc in modum explicanda: „in eis, quibus accuratiori interpretationi praelusimus, ad fabulae oeconomiam explicandam in universum,“ — quod sane fieri non potuit nisi in hypothesi aliqua, quae tamen plenior oportet fuerit, quam quales eae sunt quae in nostris extant exemplaribus [3]). — Quae si vera sunt, totus quo fabulae Aristophanis superstites explicatae sint ordo tali tabula describi potest, in qua quas e regione stare sibi volui fabulae de principatu inter se contendunt:

Plutus. —— Nubes.
Ranae.
Equites.
Acharnenses.
Vespae.
Pax. —— { Ecclesiazusae. / Lysistrata. }
Aves / Thesmophor. } { (Ecclesiazusae). / (Lysistrata).

§. 14.

Verum duo insuper de illo indiculo monenda videntur. Primum enim tenendum est, enumeratas in tabula eas tantum fabulas esse quae supersunt, quas continua nec interrupta serie sese excepisse nolim putes; immo probabile est, interpositas his in pleniore quam qualem nunc habemus collectione plures fuisse fabulas quae hodie desiderantur; quarum tamen locus accuratius indicari nunc nequit. — Deinde non celabo, esse a me in conficienda tabula aliquot indicia plane neglecta, quae si sequi voluissem singula, unam alteramve fabulam in alio debuissem loco collocare, quam quo nunc in tabula comparent; sed ea indicia si jure a me

1) Poterat de schol. Ran. 1298 etiam ita statui, respexisse interpretem ad commentarium aliquem in Pelargos aut reliquas duas fabulas. Sed quod posui facilius probatum iri puto.

2) Ita enim verissime correxit Meinekius, Quaest. Scen. I. p. 34 not.

3) Fuerunt igitur jam antiquis temporibus hypotheses cum commentariis Aristophaneis conjunctae; item, quod obiter addo, personarum indiculi, id quod colligo ex schol. Equit. 1 extr.

neglecta demonstravero, res erit mihi integra. Ac primum quidem ad mutandum indicem invitabat schol. Plut. 782: — ἔστι δὲ τὸ βάλλ' ἐς κόρακας παρ' ὑπόνοιαν παραποιηθὲν ἐκ τοῦ βάλλ' ἐς μακαρίαν, περὶ οὗ ἀλλαχοῦ δεδήλωται. videbam enim de ista formula expositum esse a scholiasta Equitum 1147 nec alium praeterea in superstitibus Aristophanis fabulis extare locum, qui ad explicandam formulam commode praebere ansam potuisset; quod si sequutus essem vestigium, post Equites fuisset mihi Plutus collocanda. Sed huic tam parum diserto testimonio non tantam debebam auctoritatem tribuere, quam scholio ad Equit. 1011 quod supra jam apposuimus quodque Plutum ante Equites collocatam fuisse ita affirmat, ut stulti sit non obsequi. Quocirca de Pluti scholio aut ita statuendum, praecessisse fabulam hodie deperditam, cujus respiciatur commentarius, aut, quod equidem facilius crediderim, scholiastam librum designare voluisse, ab Aristophane ejusque commentariis toto coelo diversum, fortasse aliquam παροιμιῶν collectionem, quarum si ulla hic revera respicitur, nullam majore probabilitatis specie respici crediderim quam Didymi. — Non plus deinde apud animum meum valere potuit schol. Vesp. 822: Κλεώνυμος ἄῤῥυθμος καὶ μακρός. προείρηται γὰρ ὅτι φαῦλος ἦν τὴν ὄψιν καὶ κοκοσύνθετος τὸ σῶμα ὁ Κλεώνυμος, — quae si revera ad commentarii superstitis locum aliquem referenda sunt, non possunt sane melius hodie cum ullo scholiorum loco comparari quam cum schol. Av. 1473, ut facile esset ad suspicandum, Vesparum commentarium non praecessisse Avibus, ut ipsi affirmavimus, sed aliquo eas intervallo excepisse; verum hoc quoque nimis incertum testimonium visum est, quam ut quae ex clarioribus vestigiis supra eruta est utriusque fabulae collocatio inde mutari queat [1]). Idem plane statuo de schol. Vesp. 418: περὶ Θεώρου καὶ Γοργίου ἐν τοῖς πρὸ τούτου εἴρηται. nam etsi de Gorgia neque in Aristophane ipso neque in scholiis praeter Vesparum versum extat hodie ulla memoria nisi in Av. 1699 cum schol., multo tamen probabilius mihi visum est videbiturque, opinor, omnibus, scholiastam respici voluisse ad aliquam quae interierit fabulam, non ad Aves, quibus posteriorem quam Vespis locum nostra assignavit computatio, disertis illa fulcita testimoniis. — Omnium autem minimam vim habere oportebat eos scholiorum locos, nec multos numero nec ad res admodum obscuras pertinentes, qui quum alibi jam esse exposita affirment quae saepius redire apud Aristophanem solent, prorsus incertum est, ad quamnam potissimum id genus rerum

1) Credam igitur potius, scholiastam respexisse ad schol. Acharn. 88, quamquam ei non insunt omnia, quorum schol. Vesp. l. l. meminit.

interpretationem respici jubeant: ut nihil ex ejusmodi locis colligi possit, quod ad ordinem a nobis propositum mutandum quicquam valeat; est autem inter eos locos etiam schol. Vesp. 1386: ὑπώπια] τὰ εἰς ὄψιν πλήγματα. εἴρηται δὲ ἐν ἄλλοις ἀκριβέστερον, ubi quum aut schol. Ach. 525 aut schol. Pac. 533 aut utrumque innui putare possis, nihil impediebat, quominus ad solum schol. Ach. 525 respici crederem, quo ordo non invertitur. Alia id genus supra attigi [1]). — In universum autem nunc intelligitur quam pauca sint, quae tabulae nostrae formam immutatura videantur, interque ea tam pauca nullum esse testimonium, quod, si quis accurate agere velit, revera eam vim habere possit; e contrario autem multa sunt scholia, quae vel diserto testimonio vel tacite tabulam recte a nobis esse constitutam evincant; quibus scholiis quum tabulam constituerem ipse supra non usus sum, poterit autem uti, qui sublegere velit ex superiore eorum scholiorum indice quae ad alios commentarii locos lectores amandant (§. 11), in quo quae huc pertinent non omisi.

Quae quum ita sint, non mirabitur quisquam, si ita perorabo, fuisse aliquando aliquam Aristophanearum fabularum syllogen, a non ignobili profectam Grammatico, in qua singulae fabulae eo quem indicavi ordine positae fuerint, ad eamque syllogen ita sese applicasse, quicunque in scholiis nostris ista scripsit εἴρηται, προείρηται, δεδήλωται, reliqua, ut nunquam ab eo ordine recederet.

§. 15.

Jam vero utile erit considerare, iste ordo quatenus antiquae illi syllogae cum eis conveniat collectionibus, quas vel in Codd. Mss. vel in editionibus a recentioribus procuratis hodieque inspicere licet. Atque in Kusteri quidem editione (nam Bekkerus cum Dindorfio [2]) temporis rationem sequutus est, certe sequi voluit, Brunckius omnino nullam) ita sese excipiunt singulae comoediae: Plutus, Nubes, Ranae, Equites, Acharnenses, Vespae, Pax, Aves, Ecclesiazusae, Thesmophoriazusae, Lysistrata, — quem ordinem cum antiquo in prioribus consentire apparet, in posterioribus non item. Sed eum ordinem cur posuerit Kusterus nihil ipse monuit, ut — quum praesertim nullo uteretur codice, qui omnes fabulas contineret, — facile sit ad suspicandum, Kusterum quem ab aliquot superioribus Aristophanis editori-

1) Cf. supra p. 37 not. 1, 2, 3.
2) Nisi quod hic rectius quam Bekkerus Plutum ultimam voluit fabulam esse.

bus [1]) per manus traditum acceperit editionis principis ordinem fideliter servasse; ea enim si a Thesmophoriazusis et Lysistrata recesseris, tenet sane eundem fere atque Kusteriana ordinem, nisi quod Pacem post Aves posuit, quem cur Kusterus locum mutaverit, non facile dixerim. Verum ne Aldum Manutium quidem vel Marcum Musurum quicquam monuisse invenio, quo fabularum ordinem quem admiserint aliqua certe ratione se non temere ac fortuito posuisse docuerint. Hinc equidem olim eo confugiebam, ut putarem, editores principes in hac quoque re codicum manu scriptorum auctoritatem sequutos esse. Sed huic opinioni mox diffidere coepi; quamquam enim, quae erat hominum ejus temporis socordia, qua laeti inventis non duxerunt operae pretium simul inventorum fontem indicare, — quamquam igitur de codicibus, quibus utebantur illi, quidpiam suspicari velle difficile sit et errori obnoxium, habet tamen aliquam vim eorum quos novimus codicum contemplatio, quorum nullus, quatenus hic quoque per editorum accurationem certum ferri potest judicium [2]), eum tenet fabularum ordinem, quem e commentariis eruimus, quemque cum sequentibus aliquot editoribus Aldus sequutus est. Namque tametsi qui tres notiores tantummodo comoedias, Plutum, Nubes, Ranas, continent codices plures inventi sunt qui istarum fabularum convenientem tabulae nostrae ordinem servant, tametsi unus alterve etiam repertus est qui quattuor priores tabulae nostrae comoedias eodem atque tabula ordine continet: tamen, si quando plures unus codex servat fabulas, repente antiquum illum ordinem mutatum videmus; maximam autem hac in re vim habet liber Ravennas, quo si non antiquiore — quod facile crediderim, — certe integriore nemodum usus est Aristophanis codice; eum Invernizzius memoriae prodidit [3]) hoc ordine scriptas exhibere comoedias: Plutum, Nubes, Ranas, Aves, Equites, Pacem, Lysistratam, Acharnenses, Vespas, Thesmophoriazusas, Ecclesiazusas, — cui ille ordini in edito quoque Aristophane

---

1) Juntin. II et fortasse etiam aliarum editoribus; at Juntin. I et III longe alia ratione fabulas disposuerunt, hac quidem: Plutum, Ranas, Acharn., Aves, Eccles., Nubes, Equites, Vespas, Pacem.

2) Nondum enim habemus criticam aliquam Codicum Aristophaneorum descriptionem et historiam, in qua quis studuerit ex omnium codicum indole singulorum affinitatem demonstrare; qua in re collocationem fabularum rem esse non minimam facile apparet. Talem autem operam jam licet a doctissimo Fritzschio exspectare; qua si ego uti potuissem, non opus fortasse fuisset multa me et grandia perlustrare volumina, quae Codd. Mss. in singulis bibliothecis asservatos enumerant et describunt, parum plerumque (ad nostram quidem rem) accurate. Horum fide dicta sunt, quae mox de ordine fabularum affirmavi; in quo negotio si errasse deprehendar, erravi invitus.

3) Invernizzius, Proem. in Aristoph. p. X.

obsequutus est, Dindorfius autem etiam scholia Aldina applicavit. Inde augurari licet, quam antiquis temporibus veterem illum ordinem deserere coeperint librarii, ut non jam videatur magnopere verisimile, Aldum codicum suorum ordinem retinuisse; sed licebit quae Musurus in fine scholiorum in Aves monuit [1]): *ἃ δὴ σποράδην ἐν ἀντιγράφοις κείμενα διαφόροις καὶ πεφυρμένως, συνείλεκται — παρὰ Μάρκου Μουσούρου*, — in eum quoque sensum interpretari, singularum fabularum, quas quidem habuit, scholia omnia Cretensem ad eum ordinem revocasse et disposuisse, quem ipsa istis *προείρηται, λεχθήσεται* etc. indicabant, ad eumque ipsas quoque fabulas, omissa codicum suorum auctoritate, accommodasse [2]). — Simul autem illud audeo ob eandem causam pronuntiare, ne scholiastas quidem qui contextui interpretationem ascripsere vel antiquissimos suis in libris servatum illum ordinem invenisse, praesertim quum huic opinioni idem ille codex Ravennas non leve momentum adjiciat; in cujus codicis margine quae leguntur scholia a tali scripta sunt antiquo grammatico, qui alium plane in suis libris invenit fabularum ordinem atque quem aut liber Ravennas aut alius quispiam codex hucusque repertus monstrat; ita enim loquitur ad Thesmoph. 162. quo saepius jam usi sumus scholio: *καὶ ἐν τῷ πρὸ τούτου δράματι, τοῖς Ὄρνισι, παρῴδηται τὸ (Ἀλκαίου), — καὶ ἐν Σφηξίν.* quae apparet ad libri Ravennatis ordinem referri non posse, quippe qui non solum Aves et Vespas ante Thesmophoriazusas collocet (ut, si ad librum Ravennatem sua accommodasset scholiasta, Vespas quoque appellare debuisset *τὸ πρὸ τούτου δρᾶμα*), sed Thesmophoriazusis Vespas quam Aves propius admoveat, ut Vespae majore adeo jure quam Aves *τὸ πρὸ τούτου δρᾶμα* appellandae fuissent, si codicis Ravennatis ordinem sequutus esset grammaticus [3]). Quodsi vel in codice aliquo, qui quantum quidem conjectura assequimur Musuri codicibus fuit antiquior, commentandi ordo non conspirat cum fabularum ordine, multo etiam minus veri vide-

---

1) Apud. Dindorf. schol. Aristoph. (Tom. X) p. 511.

2) Interim mirum est, Musurum Pacem post Aves collocasse, non ante eas, contra disertum in schol. Av. 857 testimonium; quamquam hoc si fugisse statuis hominem, minus mira ista videbitur collocatio; Küsterum autem si non latuit, consilio fortasse ab Aldino ordine recedere potuit.

3) Non potuit ex Ravennatis libri scholiis aliud proferri exemplum, quo quod volui probetur clarius; iste enim codex caret fere ejusmodi provocationibus. Inde tamen nolim suspiceris, ab antiquioribus scholiis in universum eam consuetudinem alienam esse, provocationesque illas deberi recentioribus, — qua ratione tota mea caderet argumentatio —; nam et Venetus codex servat consuetudinem et in Ravennate libro habemus unum saltem quantum nunc quidem memini exemplum, ad Pac. 973 (= Tom. II p. 75 Invernizz.): *Μελάνθιος ἦν — τραγῳδίας ποιητὴς ὡς προείρηται.*

bitur simile sua scholia Musurum invenisse talibus codicibus ascripta, quorum ordo fabularum indicato in scholiis ordini aequaverit.

At, inquit, quemadmodum scholiasta Ravennas [1]), ita reliqui quoque scholiastae potuerunt ex antiquioribus libris, qui eundem atque scholia servabant fabularum ordinem, in tales transcribi codices, qui alium sequebantur. — Audio; sed illud si verum videbitur, quo, malum, casu factum est, ut qui transcribebant, scholia quidem accurate transcribere voluerint, ipsas fabulas non voluerint; ut has certo quodam ordine aliunde transcripserint, aliunde illa sumpserint? nisi forte statuis, librarios ad unum omnes ei mirabili satis casui obnoxios fuisse, ut postquam ipsum fabularum contextum in suos libros transtulerint, tum demum nacti codicem aliquem, in quo fabularum ordini scholiorum illa ordinis indicia respondebant, eo in scholiis transcribendis usi sint. Itaque redeundum ad ea erit, quae supra posueram, ne eos quidem, qui antiquissimi aetate interpretationem fabularum contextui ascribere primi coeperint, ordinem illum, qui e scholiis elucescit, in exemplaribus Aristophaneis servatum invenisse. Jam vero vide, quid inde consequatur necessario: si in suis codicibus scholiastae alium fabularum ordinem reperiebant, quemcunque vis a tabula nostra alienum fingere, non poterant ipsi ea omnia scholia vel excogitare vel litteris primi consignare, quibus et nititur tabula et potest magis etiam firmari. —

At alios quosdam audio vociferantes, qui quidvis libentius quam creduli audire malunt. Hi nimis me egisse cupide clamitant, nimiumque tribuisse Ravennati codici, nimium reliquis quos accuratius novimus codicibus; „hos non eam apud me debuisse vim habere, ut quemadmodum horum ordini fabularum non respondeat ordo in scholiis indicatus, ita eandem diversitatem inde colligerem in eis jam codicibus deprehendi potuisse, quibus primis scholia ascriberentur.“ — Verum his quoque satisfacturum me spero; namque etsi illud nimis me cupide ex eis quos novimus codicibus collegisse arbitrantur, hoc saltem concedere debebunt inde concludi jure posse, fabularum ordinem valde fuisse mutabilem, singulosque illos codices e quibus Aldina scholia manarunt non eundem prorsus fabularum ordinem sequutos esse omnes, sed alios fabulas dispositas tenuisse aliter. Atqui eum, qui in scholiis indicatus ordo est, nunquam mutari, sed constantem esse et ubique inviolatum

---

1) Cf. Invernizzium, Prooem. I p. XI: „praeter Aristophanis versus extat in Ravennate codice antiquissima certe, at recentiore manu scriptus grammaticus ille, qui omnibus est vetustior“ etc. scholiastam intelligit. —

supra monuimus, §. 14 extr. Essetne igitur multo etiam magis creduli, si quis sibi vellet persuadere, scholiastas istos, numero plures locique et temporis longo intervallo disjunctos, fabulas Aristophaneas, quas alii alio ordine scriptas invenerint, ita esse interpretatos, ut eundem omnes in provocando ordinem constantem servarent? Hoc persuadeat sibi qui poterit; ipse nec hunc morabor amplius nec qui aliud respiciunt refugium, „ab uno, nona pluribus scholiastis illum in provocando ordinem profectum esse;" aut „ex uno aliquo codice, in quo fabulae convenienter scholiorum ordini scriptae fuerint, omnia scholia manasse," aut si quid simile hariolantur alii; ego novis me puto argumentis comprobasse, quod supra (§. 12) ex sola scholiastarum commentandi ratione collegeram, non scholiastas esse revera, qui ad aliam alibi propositam observationem remittant scholiorum lectores.

§. 16.

Sed nondum navigamus in portu. Jam enim illud quaeritur, si non sua quasi voluntate, sed personati tantummodo ista posuerint scholiastae: *προείρηται*, *εἴρηται* vel *εἴπομεν* vel *δεδήλωται ἐν τοῖς πρὸ τοῦ*, vel *λεχθήσεται ἐν τοῖς ἔμπροσθεν*, aut si qua alia ejusdem generis supra attigimus, — quis tandem ille fuerit, qui *κατὰ τὸν Ἀριστοφάνην* [1])

μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν
εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς —

ista omnia scripserit ut primus et verus auctor. Ad quod respondere et ipsum est non levis res negotii; etsi enim jam in promptu est ita effari, ex hypomnemate illo, quo plures eosque antiquos usos esse in explicando Aristophane scholiastas vidimus ut unico ejus generis auxilio, ista quoque cum aliis fluxisse, indeque ab enarratoribus nostris, salva verborum formula, ascripta esse, tamen in ea sententia non facile quisquam acquiescat, nisi prius omni ope aliam opinionem convellam, cui itidem aliquis indulgere possit. Neque enim defore arbitror qui ita suspicentur, ista omnia, quae plerumque magnam aliquam doctrinae copiam redolent cum dispensandi voluntate liberali conjunctam, ascribenda esse ipsis illis doctissimis grammaticis, quorum eruditionem et optima quaeque ex reconditae suae doctrinae thesauro proferendi studium non pauci testantur in hisce scholiis loci egregii; despicient fortasse multi ignotum hucusque *ὑπομνήματος* auctorem nec properabunt magnopere, claram industriae multaeque lectionis laudem ei

1) Aristoph. Vesp. 1019 seq. Bekk.

concedere, quam ipse, consuetudinem illam citandi suos in alias fabulas commentarios ei vindicans, conciliare homini cupio. — Qua in re ne causa excidat cujus patrocinium suscepi, non utar fallaci suspicandi periculo aut ex occultis remotisque litterarum latebris sedulo conquiram quibus exornem speciose excogitata — si modo talia excogitare potuerim unquam — nec testes subornabo, sed veritatem sequar utarque concessis. Vidimus enim supra concessumque credo mihi ab omnibus est, praeter ὑπόμνημα illud, cujus vestigia hucusque in occulto latebant, plures eosque antiquissimos scholiastas alium non usurpasse in explicando Aristophane commentarium; et tametsi fortasse alia quoque nonnulla adjumenta ipsis suppetebant, quibus uti cum fructu possent, tamen librum, qui ut ὑπόμνημα illud de industria Aristophanem et ordine ac ratione omnia explicaret, alium praeter istud frustra quaesivisse censendi sunt. Quodsi tamen scholiastae aliorum quoque eorumque antiquissimorum Aristophanis interpretum placita referunt, ea consentaneum est invenisse scholiastas in ipso illo hypomnemate exposita, id quod alter certe locorum, quibus ejus libri memoria ad nos propagata est (schol. Plut. 1037), itemque alia nonnulla indicia, quae §. 5 vindicavimus hypomnematistae, externa quoque aliqua auctoritate demonstrant verum esse. Potuit autem istius libri scriptor priorum interpretum sententias diversa ratione cum posteris communicare, ut aut sedulo transcriberet quid quisque interpretum quoque in loco exposuerat ne levioribus quidem omissis et iis quoque quae ad totius sententiae vim percipiendam minus quam ad gratam aliquam orationi conciliandam formam vel ad aliud, quodcunque vis, pertinebant appositis integris; aut longioris disputationis brevem tantummodo summam ex superioribus commentariis in suum transferret, et tantummodo hinc inde observationem aliquam quae in rerum obscuritate utilis fore videbatur decerperet, omissis quae oneri potius quam honori et utilitati fore viderentur proprio commentario. — Sed illa ratione si usus esset ὑπομνήματος auctor, immensam oporteret conscripsisse eum diversorum commentariorum molem, quali nostra sane aetate ornatumne dicam an oneratum videmus Aristophanem, sed qualem illa aetate congestam fuisse vel propterea minime credibile est, quod tum nimis pauca prae tanto thesauro hodie in scholiis invenimus quae Aristarchi, Callistrati, Didymi, Euphronii, ceterorum esse vel testantur ipsa diserte vel quodam quasi antiquae eruditionis sapore indicant tacite; — tum etiam nimis multa prae tanta collectione hodie supersunt; quippe quo quis erat majori mole liber, eo citius per partes singulas vel adeo totus interire solebat. Accedit quod quae servatae sunt in scholiis anti-

quiorum illorum interpretum sententiae ita ubique sunt positae, ut epitomantis manum redoleant, non eum, qui quicquid invenit curiosa sedulitate servare studet integrum; quod argumentum tametsi ita extorqueri mihi de manibus posse video, ut non tam ὑπομνηματιστοῦ illius quam scholiastarum, qui commentario integris veterum grammaticorum observationibus referto usi sint, manus illas epitomantes agnoscere sese dicat quispiam, — tamen non dubito quin mecum plerique meam rationem veriorem arbitrentur: quippe quum plures sine dubio scholiastae eodem commentario uterentur, mirum esset ad unum omnes ita quasi conspirasse ad delendam clariorem omnem uberrimae doctrinae laudem eorum grammaticorum, quos et ipsi magni aestimare didicerant, ut nemo usquam talem locum integrum relinquere voluisset, quo — quod saepissime, ut in Aristophane, factum esse ultro apparet, — largum studiorum suorum fructum demetere oculisque exponere ob rerum tractandarum difficultatem cogebantur. Quamquam negare interim ne ipse quidem ausim, recentiores saltem scholiastas singulis quibusdam locis ea, quae in brevius contracta ex hypomnemate acceperint, et ipsos denuo coarctasse.

Sed quid ego captandis quae probabiles videantur conjecturis probare studeo, hypomnematistam epitomasse priorum interpretum sententias, quum idem non obscure indicent ipsi illi ὑπομνήματος loci, quos §. 5 pertractavimus, quibus jure addi in eandem rem schol. 1 ad Plut. 1037 poterit, unde primum profecti sumus. Nam quae ibi extant duae priorum interpretum interpretationes, quis eas propositas a grammaticis antiquis putet sine aliquo non exiguo doctrinae apparatu, ad firmandam sententiam ex occultis fortasse latebris accersito?

Quocirca tale nobis fingere ὑπόμνημα cogimur, quale altero loco descripsi: quod difficilioribus tantum in locis superiorum interpretum libros consuleret inventasque ea ratione interpretationes plures non apposuit integras, nisi forte perraro, sed in brevem summam contractas, nec tam quo modo quibusve verbis quidque expositum esset curabat, quam in quem sensum quidque explicatum esset. Jam vero ab ea excerpendi ratione manifestum est abhorrere, si quis e libris quos excerpit tales locos ubique velit integros describere quibus ii quorum excerpit libros observationes alibi propositas ad explendam unius loci interpretationem advocant; quibus observationibus talis qualem descripsimus epitomator uti solet tacite. Unde consequitur necessario, illa προείρηται, δεδήλωται, λεχθήσεται, reliqua non posse nisi ab hypomnematistae mente profecta esse. — Interim tamen largimur ultro, paucissima quaedam posse a scholia-

stis profecta esse, pauciora etiam — aut nulla — ab antiquioribus interpretibus.

§. 17.

Atque hac quidem argumentandi ratione satis mihi videor *ὑπομνήματος* auctori quod suum erat vindicasse; idem autem liceret fortasse aut magis etiam corroborare, aut — ne quid dissimulem — convellere, si de ordine aliquo fabularum Aristophanearum, cujus pauca hodie eaque perobscura vestigia supersunt, certius aliquid erui posset. Nam quum et auctor argumenti quod Avibus praefixum est [1]) et grammaticus Bekkeri in Anecdot. I, p. 430, 16, sive Bachmanni in Anecd. I, p. 127, 18 [2]), et Photius [3]) id saltem quod certum sit indicent, sequutos se esse syllogam aliquam in qua suus cuique fabulae certus locus assignatus fuerit: hoc ordine, si probabiliter demonstrari posset certis quibusdam rationibus eisque ex ipsa fabularum natura petitis eum niti satisque esse antiquum, ita possemus uti, ut ei obsequutos in interpretando esse antiquiores grammaticos multo affirmaremus probabilius esse, quam si quis contendere vellet, eosdem eum sequutos ordinem esse quem ipsi e scholiis eruimus, eosque scripsisse e quibus elucescit ordo iste, illa dico *προείρηται, λεχθήσεται*, reliqua; — quippe probabilius est, doctos grammaticos talem ordinem tenuisse, qui ratione aliqua (quod principium hodie dicere solent) nititur, quam qui nulla re nititur nisi libera nullisque legibus coercita voluntate; quorum hoc in nostram cadere tabulam cogimur sane concedere. — Verum enim vero ingenue confitendum, nihil ex tribus istis grammaticorum locis extricari posse, quod illum quem indicavi usum videatur habiturum esse; nam si vel maxime concedimus, — quod tamen et ipsum incertum est nec ulla ratione potest probari, — sed si concedimus, trium grammaticorum illorum unumquemque respexisse ordinem eadem ratione nixum, tum si vel illud ultro largimur, eundem plane omnes ordi-

---

1) Dindorf. Aristoph. Comoed. (1830) II, p. 3: *ἐδιδάχθη (τὸ τῶν ὀρνίθων δρᾶμα) ἐπὶ Χαβρίου — ἔστι δὲ λε.* Ultima omisit Bekkerus.

2) *Ἀπολογίσασθαι — Ἀριστοφάνης ἐν τῷ θ Γήρᾳ.*

3) Photius lex. p. 426, 12: *Πέτευρον, πᾶν τὸ μακρὸν καὶ ὑπόπλατυ καὶ μετέωρον ξύλον. Ἀριστοφάνης ἐν τῷ ε.* Haec Reisigius, Praef. Nub. p. XX, comparavit cum Polluce, X, 56: *πέτευρον — Ἀριστοφάνης λέγει ὥσπερ καὶ κρεμάστραν ἐν ταῖς Νεφέλαις*, — et in Photio corrigendum putavit: *Ἀ. ἐν ταῖς Νεφέλαις*, quum nimis cito sibi persuasisset, Pollucem *πέτευρον* quoque legisse se in Nubibus significare voluisse; et in hac quidem re assentientem sibi nactus est Rankium de vit. Arist. p. CDL seq. qui ulterius progressus nostris Nubibus restitutum vocem ivit v. 227 Bekk. ita scribendo *εἶτ' ἀπὸ πετεύρου κ. τ. λ.* Sed de his omnibus uberius disputare et longum est nec hujus loci.

nem indicare voluisse: quis tandem qua audacia illud in se recipere velit, quod caput rei est, demonstraturum se et ex tam obscuris indiciis in clarissima luce collocaturum, qua tandem ratione nitatur iste ordo? — Profecto quocunque vertimur tam altae premunt tenebrae, ut equidem non mirer magnopere, quod Fritzschius [1]) corruptissimos pronuntiare grammaticorum locos, quorum unum saltem speciosa sane conjectura tentavit [2]), maluerit quam tenebras dispellere allata face; quamquam mihi eorum industria magis probatur, qui sanos rati locos vel leviter tantum corruptos explicandi periculum fecerunt. Horum alii temporis notationem in istis litteris deprehendisse sibi visi sunt [3]), qua fertur animus ad syllogen aliquam fabularum Aristophanis secundum temporis rationem dispositam; qualem collectionem etsi non improbabile est olim extare potuisse, illic tamen indicari nolim credas citius, quandoquidem ita et alia essent mutanda — et mutata sunt a viris doctis [4]) —, nec conciliari inter se possent *Νεφέλαι ε* cum Avibus *λε*; quippe quum Nubes priores commissae sint Olymp. 89, 1, Aves autem Olymp. 91, 2 —, intra novem annorum spatium oporteret Aristophanem docuisse XXX alias comoedias, id quod fidem omnem superat. Aliam autem rationem sive ipse invenit sive a Dindorfio [5]) inventam repetiit pluribusque exornavit Rankius, vir acutissimus, qui ita sibi persuasit [6]), indicasse grammaticos fabularum omnium quotquot scripsit Aristophanes ordinem secundum nominum sive indicum initia concinnatum. At primum talis ordinis memoria uti iis tantummodo convenit quibus omnium fabularum copia est; deperdita autem una alterave fabula qui praestabat ordinis memoriam propagare qui omnium fabu-

---

1) Cf. Fritzsche Quaest. Aristoph. I, p. 177 seq.

2) In argumento enim Avium pro *ἔστι δὲ λε* reponendum censuit *εἰς δὲ Λήναια*, hisque addendum ex altera didascalia quod hic a librario, eadem bis scribere fastidienti, omissum sit: *τὸν Ἀμφιάραον ἐδίδαξε διὰ Φιλωνίδου.* Sed digna ista quidem nota est quae legatur tota.

3) Petitus aqud Bekk. Comm. in Aristoph. T. III. p. 354. Süvern über Aristophanes Drama das Alter, p. 24. Dindorf. ad Frag. p. 37 et p. 104.

4) Debebat fortasse etiam mutare Fritzschius l. l. quamdiu ita sibi persuasum habuit, „Photium l. l. potuisse sine ulla mutatione sic explicari: in quinto dramate, quoniam si tempora fabularum sequare, Nubes I omnino quinta sit fabula Aristophanis." — Ultima unde tam confidenter affirmarit vir doctus nescio; illud scio alios aliter judicare, et inter Equites et Nubes I unam saltem fabulam editam esse non sine justa causa credere; cf. modo C. F. Hermann. de Aristophan. Equit. schediasm. I p. 16 seq. Ita non quinta sed sexta fabula Nubes essent.

5) Dindorf. Add. ad Arist. Frag. p. IV: „*λε* in Avium argumento ne tum quidem verum est, si fabulas secundum litterarum ordinem numeraverit grammaticus."

6) Ranke de Aristoph. vit. I. p. CCCXIV, ubi Dindorfianae opinionis nulla facta est mentio.

larum summa nitebatur, praesertim ubi non tam quaerebatur quot fabulas scripsisset Aristophanes quotaque quaeque esset, quam quid in una aliqua expositum a poeta dictumque esset, — adeo ut Photium saltem et grammaticum Bekkeri talem indicare voluisse ordinem vix ac ne vix quidem videatur probabile esse. Quod nolim ita infringas argumentum ut hic et grammaticum istum veteres suos quos sequebatur auctores nimia fide sequutum esse statuas, et Photium ipsius Pausaniae aut Aelii Dionysii verba servasse, ex quorum quidem lexicographorum libris suum comportasse Photium, dudum ante Ritschelium [1]) monuit Meinekius [2]); — nam hosce seriorum hominum satis ceteroquin antiquos magistros qui credibile est omnes etiamtum tractasse Aristophanis fabulas, quum vel multo his antiquiores non jam omnium sibi esse copiam confiterentur, id quod ex Eratosthenis verbis in hypoth. ad Pacem perspicuum est. — Deinde etsi ὄρνιϑες λε et γῆρας ϑ conveniunt sane cum fabularum indice ab ipso Rankio secundum eam rationem concinnato, — quamquam alii fortasse unam alteramve fabulam in isto indice mallent omissas, — nescio tamen qua aut calliditate aut incuria factum sit, ut Photium vir accuratissimus omiserit, quem in istis: Ἀριστοφάνης ἐν τῷ ε si putavit ad Nubes respexisse [3]), nisi violentissima mutatione non coget ut sibi faveat causamque suam defendat; sin vero incorruptum putavit apud Photium numerum esse, πέτευρον vocem uti Nubibus restitutum ivit, ita Acharnensibus quoque obtrudat oportet: haec enim quinta in ipsius indice fabula est. — Apparet igitur Rankii quoque rationem parum esse probabilem nec fuisse cur gloriatus sit vir doctissimus, tandem aliquando sua ope perspici quod ad id temporis momentum prorsus incognitum fuerit; immo confitendum est in posterum quoque tempus idem incognitum mansurum esse, donec plura et certiora testimonia fuerint reperta.

Quodsi istos grammaticorum locos tanta pressos vidimus caligine, ut vel doctissimorum virorum sedulo explicandi studio illuserint, qua temeritate quidpiam inde me collecturum putares quod ad rem meam magis firmandam pertineret? immo praestitisset fortasse ne attingere quidem istos locos, nisi, de certo aliquo exponens ordine, salva accurationis fama non posse me quicquam omittere putas-

1) Cf. Ritschl de Oro et Orione p. 34.
2) Cf. Meinek. ad Menandr. p. 278.
3) Cf. p. 51. n. 3. Sed fortasse non putavit, idque, ni fallor, rectissime; nam Photium nihil impedit quin hoc sibi voluisse dicamus, πέτευρον littera ε (ευ, non αυ) scribendum esse. Eoque sensu ista ceperunt et Dobraeus, quantum ex ejus adnotatione colligi potest, in explicando isto loquendi genere occupata, et Dindorfius, ad Aristoph. Frag. num. 667.

sem, quod licet hodie obscurum esset, olim tamen fortasse, pluribus repertis subsidiis, oporteret vel ad eundem vel ad alium referri ordinem.

§. 18.

Nunc demum eo redire licet unde tota haec profecta est quaestio; quaerebatur enim quot quaeve fabulae in hypomnemate explanatae viderentur, cujus praecipuo auxilio tota nitebatur scholiastarum interpretatio. Ad quae respondere facile jam est et expeditum. Etenim tum alia nonnulla in longe isto disputationis cursu vidimus quae ad oeconomiam *ὑπομνήματος* pertinent quibusque utemur postea, tum illud quod cummaxime huc facit, ista: *προείρηται*, *εἴπομεν*, *λεχθήσεται*, reliqua ab hypomnematista nostro esse excogitata litterisque consignata primo. Inde statim consequitur, eas omnes fabulas, quarum ad commentarios ipsis illis formulis remittimur, in illo hypomnemate esse explicatas i. e. non superstites solum fabulas omnes, sed e deperditis quoque plures, certe Danaides et Holcades. Atque de ceteris quidem omnibus quae supersunt fabulis certum jam et indubitatum hoc puto videri; sed de Thesmophoriazusis pauca video adjicienda esse quoniam nec in ipsius fabulae scholiis, quales hodie supersunt, reperiuntur ejusdem prorsus generis formaeve indicia, quibus ceterarum commentarios vindicavimus hypomnematistae nostro, nec in ceterarum scholiis extant quaedam quasi alieni loci observationes, quas in Thesmophoriazusarum scholiis vel diserto fretus indicio vel probabili conjectura nixus affirmare possis justum quendam et suum locum olim nactas esse. Idque debebam jam supra fateri, quum e schol. Thesm. 162 (*ἐν τῷ πρὸ τούτου δράματι, τοῖς Ὄρνισιν κ. τ. λ.*), diversi indicio generis, certum Thesmophoriazusis in tabula locum assignarem. Sed nec ibi me justo calidius egisse, et nunc *ὑπομνήματι* Thesmophoriazusarum quoque interpretationem non sine causa me vindicasse, eadem opera demonstrasse me putabo, ubi probavero, certissima extare in Thesmophoriazusarum scholiis indicia, quae haec quoque scholia magna ex parte aliunde manasse quam e scholiastarum cerebellis evincant. Hoc enim si verum est, quidni nobis possimus persuadere, ut tum ex quo decem fabularum scholia descripta sint opere, idem undecimae quoque fabulae scholia suppeditasse putemus, tum in schol. Thesmoph. 162 eundem (ut ita conjicere poterimus) grammaticum eundem plane ordinem atque in reliquis scholiis indicasse putemus, quum praesertim eo indicio ceterarum in tabula fabularum ordo non turbetur neque hoc fortuito videri possit factum esse.

Atque non propriam aliquam et domi natam, sed aliunde apportatam eruditionem in Thesmophoriazusarum quoque commentario scholiastas effundere, documento sunt quae versui 389 ascripta sunt: *ἐπισμῇ*] *μεταφορικῶς ἀπὸ τοῦ σμήχειν* (corrig. *σμῆν*?) *οἷον ἐπιτρίβει. σφοδρὰν γάρ τινα τρῖψιν καὶ τὴν σμῆξιν εἶναι. τάχα δὲ καὶ τὴν σμώδιγγα εἰρῆσθαι ἀπὸ τούτου. Διόδωρος δὲ* (hoc addend.) *οὐ μεταφορικὴν ἀλλ' ἐξ ἔθους γλωσσηματικὴν καὶ μὴ εἶναι ἐπιτρίβειν ἀλλὰ τύπτειν ἢ σκώπτειν ὡς* (hoc de meo addidi) *τὸ σμώχειν* [1]). Ubi infinitivi *εἶναι* — *εἰρῆσθαι* indicio sunt alius afferri sententiam, non ipsius qui haec consignavit litteris, plane ut in sequentibus: *Διόδωρος* — *μὴ εἶναι*, nisi quod hic additum ejus qui istam proposuerat sententiam nomen est; id autem quum supra sit omissum, facillime quidem suspicetur aliquis librariorum hoc factum incuria esse. At primum ut incorruptum defendent locum alii nonnulli, quibus item simpliciter positus est infinitivus, quales producemus infra §. 33; deinde etiamsi non adessent, tamen ne sic quidem dicerem ad eam conjecturam suppetere causam. Quod enim nostri homines solent facere — neque enim me solum ea uti consuetudine solere arbitror, — ut, si quem in privatos usus excerpunt librum, non in cujusque excerptae observationis fronte ponant auctoris nomen, sed indirectae orationis usu significent ejusdem has quoque esse observationes, cujus se excerpturos esse librum semel indicaverint in totius operis initio, — idemne incredibile est scholiastas graecos fecisse, qui praesertim in scholiorum fine horum solebant fontem indicare? Ergo in schol. Thesmoph. 389 quoque, ut in locis §. 33 enumerandis, putabimus ejus allata verba esse, cujus ubique fere afferre scholiastae solebant, i. e. scholia ad Thesmophoriazusas ex majore opere excerpta a scholiastis fuisse. — Sed eadem haec qua infinitivum in schol. ad 389 modo defendimus observatio a nostris moribus repetita potest fortasse ad alium quoque in eis scholiis locum trahi, licet paululum immutata; legitur is ad v. 840, itaque habet: *πολλάκις εἶπεν, ὅτι προβάλλει ὁμηρικῶς ἐν τῷ πρὸς Πολύβιον προτακτικῷ, τίς ἡ Ὑπερβόλου μήτηρ. οὐκ ἔχομεν δὲ εἰπεῖν. εἰ δὲ χρὴ τὰ τοιαῦτα ζητεῖν, ζητείτωσαν καὶ τὴν ἑξῆς, τὴν Λαμάχου. τὸν γὰρ πατέρα μόνον οἶδα Λαμάχου, Ξενόφαντον* (scrib. *Ξενοφάνην*) [2]), — ubi olim nihil mutandum arbitrabar, praeter *ὁμηρικῶς*, cui substituendum *ὁ ὁμηρικός* (i. e. Seleucus, de quo cf. infra §. 27), cetera autem putabam sana

1) Eadem corruptio apud Suid. s. *ἐπίσμῃ*. Ceterum de ista *τοῦ σμώχειν* significatione vid. Henr. Steph. thes. Londin. s. v.

2) Vide enim schol. Acharn. 258 et Thucyd. 6, 8. Cf. Bergk. Comment. pag. 63.

esse; nec conveniebat mihi neque cum Rankio ita scribenti: *πολλάκις εἶπεν (ὁ Ἀριστοφάνης). ὅτι πρ. κ. τ. λ.*, neque cum Fritzschio, qui ita putabat scribendum esse: *πολλάκις ὁ Σέλευκος εἶπεν, ὅτι προβάλλει ὁμηρικῶς κ. τ. λ.* unde oratio evadit parum apta, nec denique cum Bergkio [1]), ita corrigenti *Πολλίων* (vel *Πολυδεύκης*) *εἶπεν, ὅτι προβάλλει Ὁμηρικός κ. τ. λ.* Assensus autem facile essem viris doctissimis, si unicus hic locus esset, quo *εἶπεν* vel, quod perinde est, *φησὶ* vel simile quid ita nude positum invenitur in scholiis, ut ad Aristophanem tamen referri nequeat; sed plures sunt ejus generis loci quos corrigere omnes temerarii esset. Vide modo ut quod in propinquo est primum afferam hoc in Av. 17 scholion: — *οὐκ ἔχομεν δὲ υἱὸν αὐτοῦ* (i. e. *Θαῤῥελείδου*) *διὰ τῆς κωμῳδίας εἰπεῖν. μήποτε οὖν, φησί, κατὰ περίφρασιν εἴρηκεν* (i. e. Aristophanes) *Θαῤῥελείδου κολοιὸν ἐν ἴσῳ τῷ Θαῤῥελείδης·* cui adde schol. 2. ad Plut. 1037: *τηλία ἔχει μέν τι καθ' ἑαυτὸ ἄπορον. ἐὰν δὲ τὸ ἐν Μαρικᾷ προσέλθῃ, ἔνθα εἰς τηλίαν φησὶ τὰ τοῦ Ὑπερβόλου ὀστᾶ ἐμβεβλῆσθαι, ἀπορώτερον ἔσται,* quae quamvis facillime ita possent corrigi, ut *φασὶ* scriberetur, quod scio quam saepe a scribis sit in *φησί* mutatum [2]), aut aliud quid — nam plures patent emendandi viae —, tres tamen illi loci suam sibi integritatem testari videbantur invicem atque clamare, oculos ut intenderes prius ad verum inveniendum, quam ut primo obtutu corruptos pronuntiares testes. Et potuerunt profecto scholiastae eum significare voluisse ista tradentem, cui pleraque sua omnia debebant, i. e. auctorem ejus commentarii, quem in interpretando Aristophane sequebantur maxime, Pluti saltem et Avium scholiastae; eane in re mirum ulla ratione potuit videri quod nomen omiserint, quum ejus copiis usos se esse indicarint fortasse vel in initio vel in fine scholiorum? Quid? novimus omnes pervulgatum istud *αὐτὸς ἔφα*, quamque consentaneum sit vel puerili aetati vel etiam aliquanto adultiori, sed ad verum proprio Marte inveniendum non magis idoneae, id concedimus omnes; — cur igitur minus videatur credibile, scholiastas, miserum plerumque gregem et ad credendum quam ad perspiciendum aptiorem, hypomnematistam suam respexisse tamquam quendam quasi Pythagoram? — Sed serio ut loquar, jure olim mihi videbar in istis *πολλάκις εἶπεν* illam epitomantium brevitatem agnoscere qualem supra indicavimus; postea tamen pupugit animum, in voce *ὁμηρικῶς* corruptionem cerni manifestam,

---

1) Ranke de Aristoph. vit. p. CLXXIX not. 61. Fritzsche in Act. societat. graec. Lips. I, p. 135. Bergk. Comment. p. 311.

2) Cf. quos Schaeferus nominat, ad schol. Parisin. in Apoll. Rhod. p. 237 seq. et p. 280.

quam si concederem — ut concedo sane — locum semel contaminasse, statim videbam visum iri omnibus latius etiam serpsisse, adeo ut frustra niterer meam illam opinionem pluribus persuadere. Itaque in schol. Av. 17 quidem et Plut. 1037 eam defendendi rationem admittendam arbitror, at in Thesmophoriazusarum loco non minus quam in schol. Av. 574 cujus item in reliquis manifesta corruptio est, praestare corrigendi periculum, quod in priore quidem loco ita velim subeas, ut scribas: *πολλάκις εἴπομεν, ὅτι προβάλλει ὁ ὁμηρικός.* —

Contenti igitur simus oportet solo scholio ad v. 389, unde quum ut dixi appareat, Thesmophoriazusarum quoque scholia ex integriore opere descripta esse, jam licebit eam sequi probabilitatem cui me dare constitueram, atque affirmare opus illud unde Thesmophoriazusarum scholia manarint, idem esse atque quod reliquarum scholia fabularum suppeditavit. — Itaque jure jam repetam illud, hypomnematistae illius copias ad omnes quotquot supersunt fabulas pertinuisse praeterque eas ad aliquot quoque quae hodie sunt depertitae.

§. 19.

Sequitur deinceps, ut quem auctorem putem ejus commentarii data opera exponam. Quode unum supra (§. 4) monuimus non esse de Didymo cogitandum, sed de aliquo recentiore quam Didymus fuit grammatico. Sed quum praeterea nihil ex ipsis scholiis nunc quidem videatur erui posse, quod hic certam aliquam vim habeat, placet ad illud recurrere quod in limine totius disputationis tamquam insigne adjumentum futurum indicavi magis quam pertractavi, illud dico, quod in codice Veneto 474 itemque in Leidensi subscriptum vidimus. Cujus solius fide si quaereretur, quem potissimum ducem sequuta scholia sint, statim ad Symmachum traheretur animus ut praecipuum scholiorum fontem; hunc enim quattuor celebrant testimonia, reliquos (Heliodorum et Phainum) non nisi duo. Itaque vel sola subscriptionum auctoritate possem fortasse affirmare, istud hypomnema, quo in explicando Aristophane utebantur antiqui scholiastae adjumento ejus generis unico et quod ad superstites omnes Aristophanis fabulas pertinebat undeque imprimis priorum interpretum placita scholiastis innotuerunt, a Symmacho esse conscriptum. Sed graviora etiam ad manus sunt argumenta, quibus idem comprobem, nec quemquam reluctaturum spero amplius, ubi demonstravero quae de hypomnemate illo in antecedenti disputatione exposuerim ea in Symmachum, qualem e scholiis cognovimus, cadere omnia.

Ac primum quidem praeter *ὑπόμνημα* non suppetisse scholiastis docuimus librum ullum, qui ex instituto Aristophanis fabulas interpretatus sit, ut ceterorum interpretum placita ex ipso isto commentario scholiastis innotuisse statuendum fuerit; atqui Symmachi quoque librum non indicasse solum simpliciter aliorum sententias, sed ex instituto enumerasse et certa aliqua ratione disposuisse, atque aliquam fuisse priorum interpretum collectionem, aperte docent quae deinceps describam scholia, pauca quidem illa numero, sed unde certissime illud quod dixi colligi possit: schol. Avium ad v. 1379 extr.: *Σύμμαχος οὕτως. Εὐφρόνιος· ἐπειδὴ κυλλὸς ἦν ὁ Κινήσιας. τοῦτο δὲ οὐκ ἔστιν εὐρεῖν. ἀλλ' ἐπειδὴ πολὺ παρ' αὐτοῖς* (i. e. dithyramborum poetis) *ἐστὶ τὸ ποδὶ λευκῷ καὶ ποδὶ κούφῳ καὶ πόδα τιθείς ἤ τι τοιοῦτον, τὸ κυλλὸν προσέθηκεν.* — schol. Equit. 752: *Σύμμαχος οὕτως· ἀπὸ τῶν μελισσῶν ἡ μεταφορά. εἰώθασι γὰρ οἱμελισσουργοὶ ἰσχάδας συγκεκομμένας ῥίπτειν τοῖς μελίσσαις, ἐπὰν διὰ κρύος ἢ χειμῶνα ἐξιέναι κατοκνῶσιν ἐκ τῶν σίμβλων, ἵνα ἔνδοθεν ἐσθίωσιν. κεχήνασι δὲ οἱ μασώμενοι. Ἀρίσταρχος δὲ ὅτι μασώμενοι τὰς ἰσχάδας ταῖς μελίτταις τρίβουσιν ἅ* (scribendum videtur *ἅτε*) *τοῖς παισὶ τρίβουσιν.* — schol. Equit 958: *Σύμμαχος· ἔοικε χρησμός τις εἶναι*[1]. *ἐν γὰρ τοῖς Γεωργοῖς οὕτως ἔχει*[2]*· „ὅτου δοκεῖ σοι δεῖν μάλιστα τῇ πόλει; ἐμοὶ μὲν ἐπὶ τὸν μολγόν· οὐκ ἀκήκοας;“ Ἐρατοσθένης μολγὸν καὶ ἀμολγὸν τὸν αὐτόν. ἀμολγοὺς δὲ παρὰ τούτοις φησὶ λέγεσθαι τοὺς ἀμέλγοντας τά κοινά. Ἡσίοδος δὲ „μᾶζά τ' ἀμολγαίη*[3]. *οἱ δὲ ἀντὶ τοῦ ἀκμαῖον. παρὰ δὲ τοῖς κωμικοῖς μολγὸς ὁ μοχθηρὸς ὥσπερ γόης. οὕτω Σωκράτης*[4]. — schol. Av. 1121: *Σύμμαχος· οὕτω συντόνως τρέχει ὡσεὶ Ὀλυμπιακὸς σταδιοδρόμος, ἀπὸ τοῦ παραῤῥέοντος ποταμοῦ. ἀντὶ τοῦ δίκην*

---

1) Dignus est qui hic conferatur Pollux X, 187: — *μολγόν — ὅς ἐστι κατὰ τὴν Ταραντίνων γλῶτταν βόειος ἀσκός. — καὶ Ἀριστοφάνης δὲ χρησμόν τινα παίζει, „Μή μοι Ἀθηναίους αἴνει, τοὶ μολγοὶ ἔσονται·“ τὸ ἄπληστον αὐτῶν ὑπαινιττόμενος.* Unde facile est ad suspicandum, in scholio vel eum vel similem versum excidisse; nam *γὰρ* in vulgata scriptura sensu caret. Poterit igitur ita scribi: — *εἶναι, ὡς καὶ ἐν τούτῳ· ὅτου — ἀκήκοας; καὶ γὰρ ἐν τοῖς Γεωργοῖς οὕτως ἔχει· μή μοι Ἀθηναίους αἴνει κ. τ. λ.*

2) Fragmentum, quod apud Dindorfium est n. 157, ex Brunckii et Porsoni emendationibus apposui.

3) Hesiod. Oper. 588.

4) Pro Socrate Cratetis grammatici nomen certatim restitutum ivere Valcken. ad Phoeniss. pag. 608. Geel bibl. crit. nov. I, p. 62, Meineke Quaest. Scen. I, p. 28 not. Ego assensum hucusque cohibeo, qui et grammaticum Socratem noverim, quamquam satis illum recentem (cf. Etymol. Mag. p. 389, 14, ubi Oro obloquitur), et ita quoque videam explicari scholium posse: „ita (*μολγὸς*) Socrates philosophus quoque audit apud comicos.“ Atque de Socrate grammatico nunc quidem video Meinekium quoque olim cogitasse, de vit. et script. Euphorionis Chalcid. p. 175 not.

ῥεύματος ταχέως φερόμενος. ὁ δὲ *Δίδυμος* παρὰ τὸ Πινδάρου „ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ [1].“ διχῶς δέ τινες, ἄλφειον πνέων. — schol. Av. 439: Σύμμαχος· Αἰσωπείου λόγου ἢ τοιούτου τινὸς ἔοικε μεμνῆσθαι. *Καλλίστρατος* δὲ τοσοῦτόν (ταὐτόν?) φησιν, ἐκ διηγηματίου τινὸς εἱλκύσθαι [2]. καὶ *Δίδυμος*, ὅτι αἰσχρός τις τὴν ὄψιν συνεχῶς τῇ γυναικὶ πλησιαζόμενος (corrigend. πληκτιζόμενος. Suidas sub διαθήκην habet διαπληκτιζόμενος quod ipsum hic restituere voluit Kusterus) συνέθετο ἐπὶ φίλων, μήτε τύπτειν μήτε τύπτεσθαι, μήτε δάκνειν φιλοῦντα μήτε δάκνεσθαι, οἷον σὺ μὲν οὐχ ἑλκύσεις τῶν ὀρχιπέδων, οὐδὲ ἐγὼ τῶν τριχῶν. — schol. Av. 1297: ὁ δὲ Σύμμαχος, — φέρεται δὲ ἐν τοῖς πλείστοις ὑπὸ στυφοκόμπου. καὶ σαφὲς οὐδὲν ἔστιν εὑρεῖν. *Διονύσιος* δὲ ὁ Ζώπυρος [3]) γράφει, ὑπ᾽ ὀρτυγοκόμπου κ. τ. λ. [4]) — Vides igitur, interpretum Aristophanis antiquiorum saltem nobilissimos a Symmacho esse usurpatos, Eratosthenem, Aristarchum, Callistratum, Didymum, Euphronium, praeterea alios quoque, quorum num omnium libros ipse inspexerit postea quaerendi locus erit, — itemque vides ita usurpatos singulos, ut quid cuique placuisset breviter enarraret, apposito unicuique interpretationi ejus qui exhibuisset nomine. Haec, inquam, statim vides; neque enim est quod verear, ne diversi putes singulos hosce locos generis esse, atque Euphronii quidem sententiam memoratam in Symmachi libro fuisse mihi concedas, at Eratosthenis, Aristarchi, Callistrati, Didymi, aliorum non item. Quid autem? poteramne rectius agere certiusve verum invenire, quam ubi codicibus, quorum plenam omnibusque numeris absolutam imaginem in his quoque quamvis minutis rebus referre editiones par est credere, mancipio me dare constitueram, ita ut putida quadam diligentia, quod quoque loco signum posuissent ad distinguendum, accurate contemplarer? Atqui illi ubi habent: Σύμμαχος· — apertum est indicari, quae sequantur ipsa esse Symmachi verba, quae temerarium esset interrupta credere his: Ἀρίσταρχος δὲ, — ὁ δὲ Δίδυμος, Καλλίστρατος δέ, etc., quippe quae non eodem insignita sint directae orationis signo exscriptorumque ex libro aliquo propriis oculis usurpato verborum indice, nec scripta in hunc modum: Ἀρίσταρχος δέ· — Δί-

---

1) Pindar. Nem. I, init., unde in schol. corrigendum Ἀλφεοῦ.

2) Ἑλκύειν hic eodem sensu videtur positum, quo alibi in hisce scholiis παράγειν vel παραφέρειν legitur, i. e. traducere aliquid aliunde et in suum usum convertere.

3) De hoc cf. infra §. 27.

4) Semel moneo, interpungendi rationem, qua tota mea nititur sententia, eandem ubique me retinere atque qualem apud Bekkerum invenerim, quamque revera in codicibus inventam, non ab editoribus demum profectam esse, cur negemus nulla justa causa excogitari potest.

δυμος δέ· etc.; immo, nisi inconstantiae non exiguae sine ulla causa accusare velis scholiastas, ita statuendum est, omnia quae post illa *Σύμμαχος·* — sequantur, sive ipsius Symmachi sive aliorum tradunt interpretationem, ad eundem auctorem esse referenda, Symmachum. Itaque illud tenebimus, scholiastas neque hic neque alibi [1]) ipsos usos esse antiquiorum illorum interpretum libris indeque illa excerpsisse primos, sed inventa eorum in Symmachi commentario placita cum ipsius Symmachi interpretationibus ita descripsisse, ut externa quoque forma Symmacho se omnia debere interdum saltem indicaverint.

Quae si quis semel sibi persuaserit vere a me esse disputata, nolet, opinor, ab hac tam probabili sententia in alia omnia abire, locum contemplatus, qui nec probat aperte eandem sententiam nec vero etiam refellit, schol. Av. 704: *Σύμμαχος, διὰ τὸ τοὺς ἐραστὰς ὄρνιθας εὐγενεῖς χαρίζεσθαι τοῖς ἐρωμένοις. Δίδυμος δέ, ἐπεὶ ἡ σίττη καὶ εἴ τι τοιοῦτον ὄρνεον δεξιὰ πρὸς ἔρωτας φαίνεται,* — quae si ita hodie scripta extarent: *Σύμμαχος· κ. τ. λ.* — et disertius meam firmarent sententiam, et vero ad codicum scripturam fortassis etiam propius accederent; quis enim quovis pignore contendere velit non fugisse editorem principem istud signum quale hic desideramus, tam leve illud ut lateat facillime, praesertim si quis, quod in plurimos cadit, tales minutias justo plus odit, sed in quibus majorum saepe rerum discrimina verti patet. Itaque hoc quidem loco non magna probabilitatis specie ea se tuebitur opinio, quae Didymi interpretationes aliunde atque ex Symmachi commentario scholiastis innotuisse contendat; sed majore jure possit aliquis in eam sententiam aliis quibusdam locis uti quos infra ponam non multum eis tribuens ipse: schol. Av. 1283: *σκυτάλη ἤτοι Λακωνικὴ ἐπιστολὴ ἢ βακτηρία. ἐφόρουν γὰρ βαρείας βακτηρίας οἱ Λάκωνες. τοῦ δὲ σκυτάλιον τὸ α ἐκτείνεται, ὡς ἐν Ὁλκάσιν, ἔνθα καὶ τὸ Νικοφῶντος ἐξ Ἀφροδίτης Γονῶν παρετέθη· „οὐκ ἐς κόρακας τὼ χεῖρ' ἀποίσεις ἐκπόδων Ἀπὸ τοῦ σκυταλίου τε* (hoc add. Dindorf.) *καὶ τῆς διφθέρας.“ οὕτω Σύμμαχος. ὁ δὲ Δίδυμος σκυτάλια τὰς βακτηρίας, αἷς τὰ σκύταλα τύπτουσιν ὅ ἐστι τοὺς τραχήλους. „ἢ παίσει βάκτρῳ καλίνῳ σκύταλα Φρὺξ ἀνήρ“* [2]). — schol. Av. 1363: „*Σύμμαχος· καθοπλίζει αὐτὸν τῇ πτέ-*

1) Nam si ipsi usurpabant, cur interdum ex Symmachi auctoritate, interdum ut a se-net ipsis adhibitos citabant? Id hac quidem ratione explicari nullo modo potest, in scholiastis praesertim, qui nolunt plerumque ab aliorum sese pendere auctoritate videri, nedum voluerint tum ubi ne opus quidem erat allata auctoritate ista.

2) Recepi Dindorfii emendationem *παίσει*. Paulo aliter Hemsterhus. ad Lucian. I, p. 363. — Sed ne sic quidem persanatum fragmentum videtur.

ρυγι ὡς ἀσπίδι, τῷ δὲ πλήκτρῳ ὡς ξίφει, τῷ δὲ λόφῳ ὡς περικεφαλαίᾳ. *Δίδυμος δέ*· ἀντὶ τῆς πτέρυγος ἀσπίδα δίδωσιν αὐτῷ, ἀντὶ δὲ τοῦ πλήκτρου ξίφος· ἦλθε γὰρ ὡς ἀλεκτρυὼν (ἀλεκτρυόνα?) πτερωθῆναι, ἐπεὶ ἐκεῖνοι τοὺς πατέρας τύπτουσιν. — schol. Av. 1679: *Σύμμαχος*· οὐκ ἔστιν ὁ τούτου νοῦς φανερός. οὐδέν τι δύναται ἴδιον τῶν χελιδόνων ἡ βάδισις, αἵ γε μηδὲ πορείᾳ χρῶνται ὡς τὰ ἄλλα τῶν ὀρνέων καὶ μάλιστα τὰ μὴ πτητικά. ὁ δὲ *Δίδυμος οὕτω*· καταλλήλως εἶχεν, εἰ ἔλεγεν ὡς τὰς χελιδόνας. θέλει δὲ λέγειν, εἰ μὴ βαδίζει πρὸς τὰς χελιδόνας. — schol. Av. 1703: *Σύμμαχος*· πρὸς τὸ ἔθος, ὅτι μετὰ τῶν σπλάγχνων ἔτεμνον τὴν γλῶτταν, καὶ παρ' Ὁμήρῳ. οὗτος δὲ διὰ τὴν πονηρίαν τῶν δικαιολόγων φησὶν ἐκβεβλῆσθαι χωρὶς τὴν γλῶτταν. *Δίδυμος δέ*· ἐν ταῖς θυσίαις χωρὶς ἡ γλῶττα ἐτέμνετο οὐ μετὰ τῶν ἄλλων σπλάγχνων κ. τ. λ. — schol. Plut. 1011: *Σύμμαχός φησι*, Νίταρος πολὺς ἐπὶ μαλακίᾳ ὀνειδιζόμενος ἐν τοῖς ἑξῆς δράμασι καὶ Βάτος κ. τ. λ. *Δίδυμος δέ φησιν* ὑποκόρισμα πρὸς γυναῖκας [1]). His igitur locis erit fortasse qui ita utatur, ut quam in superioribus exemplis sequuti sumus interpretandi legem, hic quoque tenendam postulet, velitque hic quoque illud signum (*Δίδυμος δέ*·), quo integrae ab ipsoque qui posuit excerptae narrationis initium indicari diximus supra, in eundem sensum interpretari, eademque putare de *φησὶ Δίδυμος* in schol. Plut. l. l. statuenda esse, qua ratione esset sane judicandum, Didymum ipsis quoque scholiastis ad manus fuisse. — Sed ipse quid sentiam jam supra significavi: non tantum hisce locis tribuendum arbitror, ut a sententia proposita jure quis videri possit recessisse. Nam etsi concedo adeo, scholiastas in eum sensum ista posuisse, ut quodammodo ipsi Didymi libro usi videantur, — quid postea? num inde jure colligi potest, revera istius interpretis celeberrimi commentarios eis in promptu fuisse? notior, opinor, ista recentiorum grammaticorum fraus est, qua sibi vindicare solent

1) Symmachum vereor ut hoc quidem loco recte intellexerit Rankius, de Arist. vit. p. CLXXV, qui, „tantum abest," inquit, ut Symmachus de homine quodam cogitaverit, ut Bentleji sententiae (*νήτταριον* scribentis explicantisque „anaticulam") faveat multo magis quam adversetur" etc. — Cogitavit profecto de homine Symmachus ut illa indicant: *πολὺς* (cui Rankius substituit *πολὺ*) *ἐπὶ μαλακίᾳ ὀνειδιζόμενος*, quae non possunt commode nisi de homine intelligi. — Sed Symmachum si statuis perspexisse quod perspexisse eum credo, ipsum viri nomen (legebat autem ut ipse quoque credo *Νηττάριον*, non *Νιττάριον*) ab anaticula demum esse repetitum, i. e. non fuisse proprium nomen, sed adventicium et a comicorum cavillandi libidine nescio cui *μαλακῷ* inditum (cf. *Χαιρεφῶν ἡ νυκτερίς* Arist. Av. 1564, et reliqua apud eund. ibid. 1290 seqq.), — hoc igitur si statuis, aliqua opprobriorum quae in Symmachum Bentlejus conjecit pars statim evanescit. Et quidni potuerit verum viri nomen *Νίτταρος* fuisse, quod sono suo sponte ducebat comicos ad *νηττάριον* nomen ei tribuendum?

aliena, quam ut isti citandi rationi nimis multum tribui possit. Sed talem fraudem quam facile hic potuerint committere apertum est. Nimirum unum saltem ex superioribus exemplum concedes mihi docere, in Symmachi commentariis aliorum sententias directa oratione fuisse productas, illud dico, quod ex schol. Av. 1379 descripsimus: *Σύμμαχος οὕτως. Εὐφρόνιος· ἐπειδὴ κυλλὸς ἦν ὁ Κινησίας· τοῦτο δὲ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν.* Quid igitur impedit, quominus Didymi quoque interpretationes, si non ubique, at hic illic eadem ratione citatas in Symmachi commentario fuisse concedas? Quod si facis, statim in oculos incurrit, quo ne minimo quidem negotio Didymea ita citare scholiastae potuerint, quasi ipsi invenerint; quam industriae suae magnaeque lectionis speciem quin saepissime et lubentissime affectaverint non potest dubitari. — Quamquam ego non praefracte negaverim, unum alterumve locum quo Didymi propagatur memoria aliunde quam e Symmachi copiis fluxisse; fuit enim illius grammatici ea industria eaque eruditio qua plurimi possent in diversis tractandis argumentis uti; quo oportebat evenire ut ejus observationes in diversissima aliorum scripta transirent, lexicographorum maxime, itaque per plurimorum manus traditae ad recentiores magistros propagarentur, quos usos esse ejusmodi observationibus credibile est plerumque ignaros, quibus primum locis quove in libro a Didymo propositae fuerint. Ejusmodi Didymi observationes si scholiastas quoque alibi invenisse et de suo addidisse Aristophaneis scholiis concessero, res tamen mea manebit mihi integra nec quidquam inde detrimenti ea capiet sententia qua, quae in Aristophanem commentatus sit Didymus, in universum scholiastis e Symmachi libro innotuisse dixi.

§. 20.

Quodsi semel probavi, scholiastas Symmachi copias ita in usum suum convertisse, ut quae ibi invenerint Didymi interpretamenta ita posuerint, quasi ipsis debeamus inventorum laudem tribuere pertractatique Didymei commentarii concedere studium, non erit quod quis eandem calliditatem neget agnoscendam esse in aliis quibusdam locis, quibus primo loco de Didymi sententia, de Symmachi secundo expositum invenimus: schol. Av. 1294: *Δίδυμος· ὡς τοιούτου τὴν ὄψιν ὄντος μνημονεύει αὐτοῦ καὶ μέγα ῥύγχος ἔχοντος καὶ ὁ τὰς Ἀταλάντας γράψας καὶ Εὔπολις ἐν Ταξιάρχαις. Σύμμαχος· φαίνονται τὸν Λυκοῦργον Αἰγύπτιον εἶναι νομίζοντες ἢ τὸ γένος ἢ τοὺς τρόπους. Φερεκράτης Ἀγρίοις κ. τ. λ.* — quamquam hic Didymi observatio ad v. 1294, Symmachi ad v. 1296 pertinet. — schol. 2 ad Av. 1297: *ὁ μὲν Δίδυμος οὕτως· — ὁ δὲ Σύμμαχος κ. τ. λ.* — schol.

Av. 1379: *Δίδυμος μὲν κύκλον, ἐπεὶ κυκλίων ᾀσμάτων ποιητής ἐστι. κυλλὸν δὲ ἐπεὶ χωλὸς ἦν — Σύμμαχος οὕτως. Εὐφρόνιος· ἐπειδὴ κ. τ. λ.* quae saepius jam ascripsimus. Haec igitur eadem calliditate atque superiora scholia scripserunt scholiastae, nisi quod de sententia Didymi, quem ut antiquiorem et magis celebratum Aristophanis interpretem magis etiam venerabantur, primo loco exposuerunt, quamquam idem ordo in Symmachi quoque commentario potuit observatus esse; tum in ultimo exemplo parum tribuebant constantiae, ut qui Euphronii quidem interpretationem ut a Symmacho propagatam indicarent, Didymi ut ab ipsis inventam propriisque oculis in ipsius libro lectam, cui simile quid factum in schol. Av. 1297, b; — qualem inconstantiam quis magnopere mirabitur in scholiastis? — Praeter hos autem quos hucusque enumeravi locos non extant hodie alii [1]) in scholiis nostris, quibus junctim positae sunt adjectisque nominibus Didymi et Symmachi interpretationes; sed ex his certissimam conjecturam facere licet de eis locis, quibus solius Didymi nomen positum est, adjecta ejus interpretatione, id quod in reliquarum fabularum scholiis saepius quam in Avium factum est, — eam, ubicunque vel quocunque modo legitur, ex Symmacho fluxisse putandum est, nisi uno alterove loco ex lexicographis aliqua Didymi observatio ab ipsis scholiastis, non a Symmacho primo sublecta est. — Sed unum tamen locum non praetermittam, qui item huc pertinet quemque, quum egregie meam de traditis in scholiis Didymi observationibus sententiam firmet, tamquam quoddam quasi subsidium in ultima acie placuit collocare; est is in schol. Av. 1001: *Δίδυμος· τοιοῦτος ἀήρ ἐστι τῇ γῇ περικείμενος, ὅμοιος πνιγεῖ, καθαπερεὶ πῶμά τι περικείμενος. τὰ δὲ ἑξῆς, φησὶν ὁ Σύμμαχος, ἀδιανόητα,* — ubi Didymi verba tam arcte vides cum Symmachi conjuncta, ut hic scribere sua non potuerit, nisi priora quoque, Didymi, posuit; ut statuendum igitur sit necessario, Didymi interpretationem non a scholiastis esse ex ipsius libris transcriptam sed e Symmachi commentario. —

§. 21.

Satis dictum est de Didymo. Cujus observationibus qui tamquam a semet ipsis inventis usi sunt scholiastae, eos probabile est ceterorum quoque interpretum adnotationes eadam ratione usurpasse. Quodsi igitur locos nonnullos in scholiis invenimus, quibus Symmachi interpretamenta

---

1) Praeterquam in schol. Av. 58, unde tamen colligi in nostram rem nihil potest.

cum aliorum ita conjuncta sunt, ut horum observationes ex illius commentariis fluxisse non indicatum sit externa aliqua ratione, non debet statim quisquam plurimorum in Aristophanem commentarios a scholiastis ipsis compilatos putare. Ejusmodi locos deinceps ascribam, ubi primum illud monuero, quod de aliorum interpretationibus dixi, de eis quoque intelligendum esse, quibus non praefixa est aliorum eas esse nota; sed non scholiastarum proprias eas esse observationes sed aliorum longe vetustiorum et doctiorum, nemo, opinor, in plerisque concedere mihi nolit. Vide igitur schol. Acharn. 448: *τοῦτο πεπαρῴδηται ἀσήμως ἐξ Οἰνέως Εὐριπίδου. ὁ δὲ Σύμμαχος καὶ ἐκ Τηλέφου φησὶν αὐτό.* — schol. Acharn. 842: *οὕτως ὁ σφοδρὸς χειμών, ἐν ᾧ καὶ τὰ ὄρνεα διαφθείρεται. οὕτω δὲ καὶ ἄνεμος ὀρνιθίας, ὃς ὑπὲρ τὴν γῆν τὰ ὄρνεα στορέννυσιν ὑπὸ τῆς τοῦ ψύχους πνοῆς. ὁ δὲ Σύμμαχος χειμῶνα ὀρνιθίαν ἀποδίδωσι διὰ τὸ χειμῶνος ταῦτα τὰ ὄρνεα ἐπιφαίνεσθαι, ὡς παρὰ Ἀράτῳ* [1]. — schol. Equit. 1122: *βρύλλων] ἐξαπατώμενος ὑπό τινων καὶ μεθύων. Σύμμαχος δὲ ὑποπίνων ἐκ μιμήσεως τῆς τῶν παίδων φωνῆς* [2]. — schol. Vesp. 1302: *τῶν κολάκων ἂν εἴη Φρύνιχος ὁ ποιητής. ὁ δὲ Σύμμαχός φησιν, εὐλογώτατον ἂν εἴη τὸν τραγικὸν ὑποκριτὴν Φρύνιχον.* — schol. Ravenn. ad Nub. 854: *ἀμαξὶς δὲ πλακοῦντος εἶδος, ἣν νῦν κοπτὴν φαμέν. Σύμμαχος δὲ τὸ μικρὸν ἀμάξιον. ταῦτα γὰρ τοῖς παιδίοις ἠγόραζον.* — schol. Av. 168: *Πλάτων Σύρφακι ἐπὶ τοῦ Τελέου „νοεῖ μὲν ἕτερα, ἕτερα* [3] *δὲ τῇ γλώττῃ λέγει.„ κωμῳδεῖται δὲ εἰς πολλά. Σύμμαχος δὲ πρὸς οὐδέν, ἢ ὅτι Τελέας ὄρνεον, ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς ὄρνεόν τι καταλέγει „τελέᾳ καὶ τετράδι καὶ ταῶνι καὶ βασιλίσκῳ“* [4]. — schol. Av. 988: *ὁ δὲ Διοπείθης νῦν μὲν ὡς χρησμολόγος, ἑτέρωθι δὲ ὡς κυλλὸς καὶ δωροδόκος. Σύμμαχος δὲ καὶ μανιώδη φησὶ τὸν Διοπείθη τὸν ῥήτορα, ὡς καὶ Τηλεκλείδης ἐν Ἀμφικτύοσι δῆλον ποιεῖ. παράκειται δὲ καὶ τὰ Φρυνίχου ἔμπροσθεν ἐν Κρόνῳ· „ἀνὴρ χορεύει καὶ τὰ τοῦ θεοῦ καλά. βούλει Διοπείθη μεταδράμω καὶ τύμπανα;“ καὶ Ἀμειψίας ἐν Κοινῷ* (scrib. *Κόννῳ*)· *ὥστε ποιοῦντες χρησμοὺς αὐτοῖς δίδοσθαι δεῖν Διοπείθει τῷ πα-*

---

1) Cf. Arat. Diosem. v. 1077 seqq. Buttm.

2) i. e. *τοῦ βρῦν*, quod apud ipsum Aristophanem legitur Nub. 1364: *εἰ μέν γε βρῦν εἴποις, ἐγὼ γνοὺς ἂν πιεῖν ἐπέσχον*, — ubi cf. Hermann.

3) Scribendum saltem erat: *ἕτερ᾽, ἕτερα δὲ τῇ γλ. λ.* Sed praestat fortasse scribere: *νοεῖ μὲν ἄλλ᾽, ἕτερα δὲ τῇ γλώττῃ λέγει.* — Cf. Hom. Iliad. IX. 313: *ὅς χ᾽ ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.* ita Sophocles quoque, Electr. 729: *τότ᾽ ἄλλος, ἄλλοθ᾽ ἅτερος κάρα προβάλλων*, ubi Schaeferus suorum admonet ad Theocrit. Idyll. 6, 46 propositorum.

4) De hoc versu, qualem eum citavit Symmachus, infra disputabitur §. 29.

ῥαμαινομένῳ“ [1]). — schol. Pac. 882: λεπάστην] εἶδος ποτηρίου μεῖζον ἢ κύλιξ. οὕτως ὁ Σύμμαχος. ὁ δὲ Παλαμήδης τὸ πιδάριον ἐκδέχεται. — Horum igitur pleraque ab ipso Symmacho indicata puto omnia, a scholiastis autem ita usurpata, ut non necessarium ducerent significare, Symmacho se non ipsius solum interpretationes sed ceterorum quoque debere. Quamquam hic quoque tum illud valet quod supra attigi, nonnulla potuisse a vulgaribus quibusdam valdeque tritis libris, qui pridem ejusmodi observationes aliunde collegerant, scholiastis suppeditari, tum hoc moneo, nolle me quovis pignore contendere, inter ea quae descripsi interpretamenta nullo auctoris nomine insignita, esse quoque quae ex ipsorum scholiastarum cerebellis potuerint proficisci. In universum autem quam vera sint quae de talium observationum fonte, Symmacho, dixi egregie probat schol. Acharn. 145: ὁ δ' υἱὸς (i. e. Σιτάλκους)] τοῦτον πολίτην ἐποίησαν Ἀθηναῖοι — ἐλέγετο δὲ οὗτος Τήρης. ἔνιοι δέ φασιν ὅτι ὁμώνυμος ἦν τῷ πατρὶ Σιτάλκει. Σύμμαχος Ἀθηναῖος μέμνηται. Θουκυδίδης προστίθησι καὶ τὸ ὄνομα λέγων οὕτως [2]· καὶ Σάδωκον (leg. Σάδοκον) τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ἀθηναῖον. Ultima apparet alium scripsisse quam qui priora; alioquin enim legeremus, opinor, aliquam αὐτοσχεδίας aut incuriae vituperationem in eos, qui tam gravissimo teste, qualis erat Thucydides, neglecto, in alia omnia abiissent; scriptumque sic esset: Θουκυδίδης δὲ κ. τ. λ. Sed id hic non tam quaeritur, quam utri adnotationi adhaereat illud: Σύμμαχος Ἀθηναῖος μέμνηται. Qua in re si reliquorum exemplorum analogia duci nos patimur — id quod unice hic probandum — non ultimae observationi praefixam istam fontis notam putabimus, quippe huic interpretationi nescio quomodo illud μέμνηται parum convenire videtur, sed ad priorem observationem referendam esse tamquam subscriptionem quandam, ut hoc dixerint scholiastae „fuisse nonnullos, qui patri cognominem filium putarint, Symmachus memoriae prodidit,“ — quo apparet quod posueram egregie firmari.

§. 22.

Hic poteram ad alia transire; sed praestare videbatur pedem aliquantisper figere, quo statim possem nonnulla propulsare, quae isti meae sententiae opponi ab aliquo posse

---

1) Fragmentum Amipsiae aperte corruptum ita videtur in integrum restitui posse:

ὥστε ποιοῦντες χρησμοὺς αὐτοί φασι δεδόσθαι Διοπείθει
τῷ παραμαινομένῳ.

Aliam emendandi viam iniit, sed non absolvit Bergk. Commentat. p. 171.

2) Cf. Thucyd. 2, 29.

curioso praevidebam. Quaesierit enim quispiam, si Symmacho pleraque omnia debuerint quae et antiquissimam et doctissimam esse scholiorum nostrorum partem consentaneum est, qui fieri potuerit, ut scholiastae uno alterove loco relicta atque adeo reprehensa Symmachi interpretatione aliam proposuerint, doctam semper et accurate excogitatam, tum plerumque etiam veriorem; talem interpretationem quum scholiastae e suopte ingenio haurire vix potuerint, cogi nos, a prioribus interpretibus ut pridem eam veriorem interpretationem propositam putemus; quodsi hanc quoque, ut statuerim, Symmachi commentarius suppeditaverit, verendum esse ne Symmachum habeamus interpretem aliquem insigniter fatuum, qui bonis aliorum observationibus ab ipso lectis propagatisque uti non potuerit. — Sed qui ita argumentatur, eum non usque quaque vere argumentari arbitror. Quid enim? veramne aliquam quaeque omnes boni interpretis numeros expleret interpretationem semper procudisse antiquiores interpretes, recentiores autem, ubi ad perspiciendam veram Aristophanis sensum intendebant aciem, ubique caecutiisse egregie erroribusque fuisse obnoxios? immo, ut sumus natura nostra comparati homines omnes, a prioribus quoque illis quantumvis fuerunt docti non alienum erat illud „errare humanum est,“ ut fugerint eos interdum, quae posteriores demum eruditione nullo modo cum illis comparandi, scholiastas dico, perspexerunt. Itaque si quando scholiastae Symmachum castigant, nova aliqua allata interpretatione, eam nemo justo citius contendat ab antiquioribus esse profectam interpretibus, quos scholiastae suis ipsi oculis legerint Symmachus autem non legerit nedum in commentarium suum retulerit eorum placita, nec debet quisquam ea ratione meam de Symmachi commentario sententiam statim propulsatam arbitrari. Sed non unius generis videntur qui huc pertinent loci esse; praeterea enim in uno alterove antiqui quidem satisque docti manum grammatici agnoscere mihi videor, sed qui tamen Aristophanem de industria non interpretatus sit sed quasi praetereundo et obiter verum indicarit. Deinde videndum potueritne Symmachus antiquiorem aliquam interpretationem, ab ipso descriptam et in librum suum relatam ob certas quasdam causas, sive veras illas sive falsas, spernere novamque excogitare non admodum commendabilem, quam scholiastae sibi sumpserint refellendam, adjuti in eo negotio priorum illis observationibus, a Symmacho allatis spretisque, quas ipsi magis probabant et pro suis venditabant. — Sed jam ipsos enumerabo locos. Schol. Thesmoph. 393: *ὁ Σύμμαχός φησι παρὰ τὸ πιπίζειν τὸν οἶνον. ἐγὼ δὲ οὐχ ὁρῶ τὸ πιπίζειν ἐπὶ ταύτης τῆς ἐννοίας παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς κείμενον, ἀλλὰ κατὰ μίμησιν φωνῆς λε-*

γόμενον. ἄμεινον οὖν, ὥσπερ παιδοπίπης λέγεται, οὕτω καὶ οἰνοπίπης. ΑΛΛΩΣ. τὰ πλεῖστα οἰνοπίπους (leg. οἰνοπίπας) ἔχει ἀντὶ τοῦ τὰς μεθύσους ἀπὸ τοῦ πιπίζειν, ὅπερ ἐστὶν ἐκμύζειν, — quod scholium propterea ascripsi totum, quo appareret non in commentario aliquo quo uterentur scholiastae, Symmachi interpretationem fuisse reprehensam; si enim fuisset, non repetiisset, opinor, eandem interpretationem alter scholiasta; quamquam huic argumento ob ea quae supra posui non multum tribuam. Illud autem certum est, in Symmachi libro scholiastas priorem tantum interpretationem invenisse; cui prior scholiasta memor ille in tempore Homerici vocabuli obloquebatur, alter autem, nihil suspicatus vitii totus assentiebatur, Suidas denique proprio diffisus judicio una cum reprobatione locum in lexico suo concessit; ita enim loquitur sub voc. οἰνοπίπας, p. 3658 D Gaisf.: οἰνοπίπας, τὰς τοὺς οἴνους περισκοποῦσας ὡς Ὅμηρος παρθενοπίπης Ἀριστοφάνης φησίν. — ὁ μὲν οὖν Σύμμαχός φησιν παρὰ τὸ πιπίζειν τὸν οἶνον. ἐγὼ δὲ οὐχ ὁρῶ — λεγόμενον. Ἄμεινον οὖν — οἰνοπίπης. οἰνοπίπας οὖν ἀντὶ τοῦ μεθύσους. παρὰ τὸ πιπίζειν, ὅ ἐστι μύζειν ἢ μυζᾶν. — Schol. Ran. 1225: ἤτοι πρὸς Εὐριπίδην ὁ λόγος, ὅτι ἀγόρασον παρ' Αἰσχύλου τὴν λήκυθον. ἢ πρὸς Αἰσχύλον, ὥστε πωλῆσαι. ὡσεὶ εἶπεν ὤνησαι αὐτὴν καὶ ἀπόδος ἀντὶ τῆς ἀπολωλυίας. τὸ δὲ πρίω ἐν ἴσῳ τῷ ὤνησαι. ἀλλ' ἐν τοῖς ἑξῆς φησὶν Εὐριπίδης ἐγὼ πρίωμαι τῷδε· ὥστε ματαία ἡ παρατήρησις τῷ Συμμάχῳ. In his trium manus interpretum agnoscere mihi videor, quorum unus quem Symmachum esse arbitror (qui ista posuit: ὡσεὶ εἶπεν — τὸ δὲ πρίω ἐν ἴσῳ τῷ ὤνησαι) ἀποπρίω dixerat per brachylogiam quandam positum esse pro: πριάμενος ἄλλην λήκυθον ἀπόδος ἀντὶ τῆς ἀπολωλυίας, eaque ratione ἀποπρίασθαι et πρίασθαι hic saltem differre; alter autem, qui in scholio loquitur primus, videndum dixit num ἀποπρίω significet „eme ab Aeschylo, o Euripides,“ an „vende o Aeschyle;“ sed Symmacho deinceps tertius scholiasta ita obloquitur, ut nullam dicat causam fuisse cur Symmachus ad Aeschylum istud ἀποπρίω tendere dixerit, quum quod statim sequatur „ἐγὼ πρίωμαι τῷδε“ satis doceat, Euripidi ista dixisse Dionysium, adeo ut appareat temere istud inter πρίασθαι et ἀποπρίασθαι discrimen Symmachum statuisse. Quae num ab omni parte ab omnibus recte excogitata sint, nunc non curo; illud tantum moneo, nullam posse extricari causam a docta aliqua refutationis specie repetitam, quae ab antiquo quodam Aristophanis interprete, non a scholiastis ipsis refutatum Symmachum probet. — Schol. Av. 303: κεβλήπυρις] μήποτε οὐχ ἕν ἐστιν ἀλλὰ δύο, φησὶν ὁ Σύμμαχος. καὶ ἐν τοῖς Καλλιμάχου ἀναγέγραπται κέβλη. εἶτα μύρ-

μηξ Ἑρμίππου τετραμέτροις [1]) „καὶ Θεμιστοκλέους τὸν πρωνός τις ἂν κεβλήπυρίς τις ὀνομάζεται,“ ὥστε ἐνθάδε ἢ ἐκεῖ ἡμάρτηται τὸ ἓν παρὰ τῇ γραφῇ, quae probata ei sunt qui huc transcripsit, non item alii scholiastae, cujus subjuncta est indicataque voce solemni ἄλλως haec observatio: οὐ δύναται δύο εἶναι διὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν εἰκοσιτεσσάρων, quae lucem accipiunt e schol. Av. 297: ἀπὸ τούτου ἡ καταρίθμησις τῶν εἰς τὸν χορὸν συντεινόντων προσώπων κδ', ἐν περιττῷ ληφθέντων τῶν προκατειλεγμένων. ὁ δὲ τραγικὸς ιε' πρόσωπα ἔχει. ἐνταῦθα δὲ εὑρήσεις ἀριθμήσας τὰ εἰκοσιτέσσαρα πρόσωπα, ἐξ ὧν ὁ κωμικὸς χορὸς συνίσταται, — vel e schol. Equit. 587: συνειστήκει ὁ χορὸς ὁ μὲν κωμικὸς ἐξ ἀνδρῶν ἤδη καὶ γυναικῶν — κδ', ὡς καὶ οὗτος ἀπηρίθμησεν ἐν Ὄρνισιν, ἄῤῥενας μὲν ὄρνις ιβ', θηλείας δὲ τοσαύτας. Nimirum fuerunt, qui avium numerum solitam chori magnitudinem non excedere putarent, adeo ut, κεβλήπυρις si duae essent aves, aequabilis illa avium inter et chori numerum ratio perturbaretur; eaque sententia nostra memoria pulchre exornata est a Boeckhio, viro summo [2]). Sed eam opinionem non credo sane scholiastas ex suo hausisse ingenio, magisque videtur credibile ex superiorum cujusdam libro hanc tantam doctrinam fluxisse. Neque tamen ideo statim quisquam sibi persuadeat, non per Symmachi commentarium observationem illam quasi transiisse eaque via ad scholiastas tandem pervenisse, sed incognitam Symmacho ab ipsis scholiastis repertam in antiquo aliquo commentario fuisse; neque enim ea ista observatio est quae omnes statim ad assensum trahat, quamque nemo legere atque adeo describere potuerit, quin suam aliquam diversam sententiam reprimere noluerit. Quo enim argumento, quod certissimum sit omnemque dubitationem procul arceat, illud demonstrari possit, quo ista nititur sententia, inde a v. 294 demum enumerari a poeta chori sive personas sive aves, eas autem quattuor aves, quarum v. 268, 274, 279, 287 mentio fit, omni modo in computando chori numero negligendas esse? sed has qui meminerit apparet facile potuisse de illa sententia dubitare eaque spreta aliam interpretationem quaerere. Ad quod quum accederet, ut κεβλήπυρις ignota prorsus avis esset, κέβλη autem alibi memorata inveniretur, tum πύρις avis quaedam posset credi a rubro colore nomen gerens, ut πορφυρίς, ἐρυθρόπους, aliae, — augeri facile dubitatio potuit. Sed quorsum haec? — Ut appareat non absurde me statuere Symmachum illam de XXIV in choro avibus sententiam descripsisse quidem et

1) Fragmentum corruptissimum acutioribus relinquo sanandum; ego operam et oleum perdidi.
2) Cf. Boeckh. de graec. tragoed. principib. p. 70 seq.

in commentarium suum retulisse, sed ipsum tamen eam reliquisse; quodsi verum est potuit scholiasta aliquis non admodum curiosus Symmachi copiis adversus ipsum uti, adeo ut hic quoque locus nequaquam probet praeter Symmachum alius quoque interpretis Aristophanei commentarios a scholiastis esse tritos. — Schol. Av. 1679: *Σύμμαχος· οὐκ ἔστιν ὁ τούτου νοῦς φανερός*, quae non miror magnopere professum hominem esse, cujus sobrium minimeque credulum animum aliunde quoque cognosse videor; quis enim si e subjecta Didymi interpretatione de reliquorum opinionibus conjecturam facere licet, quis, inquam, inscitiam suam non malit confiteri quam in contorta parumque probabili sententia acquiescere? Jam vero vide quantum sapiat scholiasta ad v. 1678: *μὰ τὸν Δία, φησίν, οὐ λέγει παραδοῦναι ἀλλὰ βαδίζειν καὶ ἀναχωρεῖν. οὕτω δὲ αὐτό φησι βαρβάρως καὶ δυσφράστως ὥσπερ αἱ χελιδόνες. καὶ Αἰσχύλος τὸ βαρβαρίζειν χελιδονίζειν φησί, καὶ Ἴων ἐν Ὀμφάλῃ τοὺς βαρβάρους χελιδόνας ἀρσενικῶς φησιν*, — quae qui semel legerit, assentietur, opinor, nec queretur amplius de obscuritate. Quid igitur? veramne illam interpretationem ab interprete aliquo Aristophaneo allatam putemus, Symmacho ceterisque recentiore, ita ut falso statuerim solius Symmachi commentarium scholiastis patuisse? Nequaquam; occurrit enim alia conjectura non sane minus illa probabilis, mihi autem multo etiam probabilior, non ab interprete aliquo propositam primo eam interpretationem fuisse, sed ab alio quopiam docto grammatico aliud quid agente obiter esse indicatam; talis autem grammaticus non e longinquo nobis quaerendus est; optime enim factum, quod schol. ad v. 1677 post illa quae descripsi — *τοὺς βαρβάρους χελιδόνας ἀρσενικῶς φησιν*, haec adjecit: *ὡς Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ πρώτῳ τῆς καθόλου φησίν*, cujus grammatici scripta constat quam sedulo a recentioribus tractata sint [1]), ut nequeat parum videri veri simile scholiastas hic ipsos veriorem invenisse interpretationem eamque non indicatam fuisse ab interprete aliquo quem ipsi legerint Symmachus autem non usurparit. — Praeterea addo, eundem eorum videri fontem quae in codice Ravennate ad Ran. 93 prostant: *χελιδόνων μουσεῖα*] — *ἀντὶ τοῦ βάρβαρα καὶ ἀσύνετα. καὶ γὰρ ἡ χελιδὼν ἐπὶ τῶν βαρβάρων (τάττεται).*

§. 23.

Postremo hic in censum venit schol. Av. 17: *τοῦ μὲν Θαῤῥελείδου*] *Σύμμαχος, Ἀσωπόδωρον. καὶ γὰρ οὗτος*

1) Hinc factum, ut apud lexicographos quoque de *χελιδόσιν*, i. e. *βαρβάροις*, expositum videamus. Cf. Koepke de Jonis Chii vit. et fragment. p. 35. Adde Suidam s. *χελιδόνων μουσεῖα*.

ἐπὶ σμικρότητι ὑπὸ Τηλεκλείδου κεκωμῴδηται, καὶ ὁ κολοιὸς μικρὸς ὢν ἐκ τῶν πτερῶν τὴν σύστησιν ἔχει [1]). ΑΛΛΩΣ. ἄδηλον εἰ Ἀσωπόδωρον λέγει, ὃς κωμῳδεῖται ἐπὶ σμικρότητι σώματος. ἦν δὲ καὶ ὁ Θαῤῥελείδης μικρός. ΑΛΛΩΣ. οἱ μὲν πλείους ὑπειλήφασιν υἱόν τινα εἶναι Θαῤῥελείδου βραχὺν καὶ παραπλήσιον (scrib. καὶ ὡς παραπλήσιον) κολοιῷ κωμῳδεῖσθαι. οὐκ ἔχομεν δὲ υἱὸν αὐτοῦ διὰ τῆς κωμῳδίας εἰπεῖν. μήποτε οὖν, φησί, κατὰ περίφρασιν εἴρηκεν Θαῤῥελείδου κολοιὸν ἐν ἴσῳ τῷ Θαῤῥελείδης, ὅς ἐστι κολοιώδης. ἢ ὡς κολοιοὺς αὐτὸν πωλοῦντα διαβάλλει. ΑΛΛΩΣ. ὁ τοῦ Θαῤῥελείδου υἱὸς ἐγένετο κολοιός. — Ultima non moror amplius; reliqua autem sola sunt, quae apertum facilemque interitum meae sententiae minari videantur. Neque enim — quo in superioribus exemplis promptum erat refugium — hic quoque recurrere facile licebit, ut ab alio quopiam grammatico, aliud tractanti argumentum ab Aristophane alienum, priorem interpretationem in dubitationem vocatam putemus; neque suo solo fretos ingenio scholiastas probabile est eam reliquisse et vituperasse, id quod vel φησὶ illud in tertio scholio dissuadet, supra (§. 18) a nobis ipsis defensum, et similitudo quaedam, quae tertio huic scholio cum eis intercedit, quae §. 5 tractavimus a scholiastis aliunde transcripta. — Verum tamen has quoque turbas probabili ratione removere me posse arbitror, neque patiar ob hoc solum scholium explodi sententiam idoneo fundamento nixam. In eam autem rem illud primum teneri velim, integrius olim scholii initium lectum fuisse, ut apparet e Suida sub Θαῤῥελείδης. „Σύμμαχος· Ἀσωπόδωρος καὶ Διδυμαχίας, ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, ἐπὶ σμικρότητι διεβέβληντο τοῦ σώματος, quae omisso Symmacho bis repetita eadem ratione ab eodem sunt Suida, sub Ἀσωπόδωρος et sub Δι-

---

1) Horum verborum debebat sensum explicare qui accurate totum Aristophanis locum pertractavit, C. de Leutsch. Mus. Rhen. 1834 p. 359. Ipse olim ita judicabam, non scholiastae haec sed ipsius Teleclidae esse verba, ita fortasse redintegranda:

◡ ◡ ὁ κολοιός, μικρὸς ὤν, ἐκ τῶν πτερῶν
τὴν σύστασιν φιλεῖ —

i. e. κολοιὸς quoque ille, ut qui μικρὸς sit, amat versari cum aliis, convenienter πτερώματι suo; nam „συναγελαστικὸν ὁ κολοιὸς καὶ φιλάλληλον" (schol. Venet. ad Iliad. ρ, 755). Quamquam latere aliquid potuit exquisitius et facetius. — Sed si illa revera sunt ipsius Teleclidae verba, apparere videtur, quod primus scholiasta Asopodorum, a Teleclide sugillatum, Tharrelidae filium fuisse affirmat, non alia niti ratione, quam quod hic quoque ut κολοιὸς ab Aristophane notabatur. Itaque jure potuit tertius scholiasta monere: οὐκ ἔχομεν δὲ υἱὸν αὐτοῦ διὰ τῆς κωμῳδίας εἰπεῖν. Nunc autem incertior visa ista de Teleclidae versu conjectura, et acquiesco in vulgata opinione, scholiastae esse verba, quae tamen sic velim refingas: καὶ ὁ κολοιὸς μικρὸς ὢν ἐκ τῶν πτερῶν λεπτὴν σύστασιν ἔχει. Cf. schol. Nub. 952: κριμνώδη — ἀντὶ τοῦ παχεῖαν σύστασιν ἔχοντα.

δυμαχίας. Quodsi hinc patet alicujus manum parum diligentem ita hic versatam esse, ut non admodum benevolam nominibus sese praestiterit, non absurde nec sine probabilitatis specie ita statuere videor, post *Σύμμαχος* ejus excidisse nomen, cujus sequebatur interpretatio, eademque ratione hoc scholium olim conformatum fuisse atque schol. Av. 1379: *Σύμμαχος οὕτως. Εὐφρόνιος· ἐπεὶ κυλλὸς ἦν ὁ Κινησίας. τοῦτο δὲ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν*, — hac, inquam, vel simili maxime ratione: *Συμμαχος·* „*Εὐφρόνιος* (vel alius, quisquis fuit, vel etiam *οἱ πλείους*)· *Ἀσωπόδωρον. καὶ γὰρ οὗτος — ἔχει.*“ *Οὐκ ἔχομεν δὲ υἱὸν αὐτοῦ διὰ τῆς κωμῳδίας εἰπεῖν. μήποτε οὖν κατὰ περίφρασιν εἴρηκεν Θαῤῥελείδου κολοιὸν ἐν ἴσῳ τῷ Θαῤῥελείδης, ὅς ἐστι κολοιώδης*, quae vides hodie in tertio tantum scholio extare quaeque ego ad Symmachum refero non cupiditate aliqua, ut meam de Symmacho sententiam cum illo *φησὶ* in tertio scholio conciliem, sed quod, qua sunt sobrietate posita, vel invitum animum trahunt ad Symmachum [1]). — Sed si eo quo dixi modo [2]) olim scriptum primum scholium fuit, facillime inde potuit hodierna forma existere. Quum enim qui ex duobus codicibus primum et tertium scholium primus in unum volumen transtulit, sub utriusque scholii fine eadem repeti videret, ea satius putavit semel tantum ponere [3]), unde primi scholii haec oriebatur forma: *Σύμμαχος·* (*Εὐφρόνιος·*) *Ἀσωπόδωρον. καὶ γὰρ — ἔχει*, nisi quod etiamtum plenius fortassis fuit Didymachiae mentione. Sed in ea forma magis etiam perspicitur quam facilis Euphronii nomini, vel quemcunque tandem istam interpretationem protulisse e Symmacho integrum scholium retulerat, interitus paratus erat. Atque ita mutilatam observationem Suidas jam invenit, id quod minime improbabile est in eo homine, quem supra alio exemplo docuimus diversa interpretamenta inque nostra scholiorum congerie voce *ἄλλως* dirempta intra unius loci ambitum conjunxisse. — Haec quin probabiliter disputata sint nemo dubitabit, et si, quod spero, non minore probabilitate de hoc quam de reliquis scholiis quae antea tractabam, numero sunt pauca, disseruisse videbor, salva mea mihi res erit nihilque obstabit quominus quilibet mihi concedat, veterum Aristophanis interpretum placita non innotuisse scholiastis nisi per Symmachi commentarium. —

---

1) Cf. infra §. 25.

2) De scribendi ratione loquor, de ipsis verbis non item. Symmachi autem verba in prioribus tertius scholiasta magis quam primus servasse videtur; sed hunc tamen Symmacheam scribendi rationem retinuisse arbitror, qualem e schol. Av. 1379 illustravi.

3) Inde nonnunquam antiquorum scholiorum formam fuisse mutatam supra monui.

Sed oblitus paene eram aliam quandam dubitationem removere, quam quo quis movet adjumento, i. e. sola conjectandi et opinandi libidine, nullo externo firmata momento, eodem ego reprimam. Possit enim quispiam confusum nunc scholiastarum gregem disturbare velle, et antiquiores conjicere antiquiorum commentariis usos ipsos esse, recentiores autem acquievisse in Symmachi non plena aliquatenus veterum interpretum collectione, sed frustulis, de largis antiquorum grammaticorum dapibus hic illic depromptis. Quem equidem non videbo nunc, ut magno molimine (siquidem serio istum singulos distinguendi scholiastas laborem subire velit) nihil profecturum, oculorumque aciem, maximi rem pretii, perditurum facile nimis intendendo in tenebrosa nocte; sed contra conjiciam equidem e schol. Ravenn. ad Nub. 854 et ad Thesm. 393 antiquissimos facile scholiastas Symmacho jam esse usos; deinde e schol. Av. 439, 1379, reliquis, conjiciam, item antiquissimis scholiastis veterum interpretum commenta e Symmachi libro innotuisse. Haec igitur de meo conjiciam, lectoribus autem relinquam judicium, uter nostrum verius conjecerit; quorum dubito num quisquam ob illum partes meas deserere velit. —

§. 24.

Haec igitur prima fuit quae Symmachi commentario cum hypomnemate illo in schol. Plut. 1037 et Pac. 742 citato convenit similitudo: in utroque de priorum interpretum sententiis fuit expositum et ita expositum, ut ne opus quidem esset scholiastis alium praeterea commentarium magnopere quaerere. Atque haec quidem similitudo vel plus mihi quam necessarium putabit etiam qui maxime cunctari solet reluctarique, fiduciae addit ad affirmandum unum eundemque utrumque esse librum, et tum Symmachi commentarium indicari in scholl. Pluti et Pac. l. l., tum ubicunque Symmachus ad partes vocetur, ὑπόμνημα istud esse intelligendum. Sed reliqua quoque eodem modo persequar, quibus quam pulchre in Symmachum cadant quae de hypomnemate exposuimus, denuo perspici credam. Vidimus autem quam amplum fuerit hypomnema, ut quod praeter deperditas aliquot fabulas illustraverit omnes quae hodie supersunt; sed Symmachi librum non minoris oportet ambitus fuisse; primum enim citatur in scholiis ad Plutum, Ranas, Nubes, Acharnenses, Equites, Vespas, Pacem, Aves, Thesmophoriazusas, i. e. ad servatas Aristophanis comoedias omnes praeter Ecclesiazusas et Lysistratam, quas non attigisse fabulas Symmachum, qua quis probabilitate affirmaverit, quum idonea adsit causa, cur, in istarum fabularum scholiis non citari Symmachum, nullo modo possit mirum

videri; sunt enim et nimis hodie brevia earum scholia, et ita comparata, ut — casu ne dicam an callida nescio cujus voluntate — nullum ibi docti interpretis nomen hodie appareat [1]). — Praeterea Symmachum etiam deperditas hodie fabulas interpretatum esse, certissima ratione demonstrari potest; vide primum schol. Plut. 1012: *Σύμμαχός φησι, Νίταρος πολὺς ἐπὶ μαλακίᾳ ὀνειδιζόμενος ἐν τοῖς ἑξῆς δράμασι, καὶ Βάτος κ. τ. λ.*, ubi imprimis ista advertunt animum: *ἐν τοῖς ἑξῆς δράμασιν*, quae in errores haud sane leves abripuerunt duo acutissimos viros Hemsterhusium et Rankium; quorum hic [2]) quum omissa apud Suidam videret verba, a recentiore ea grammatico atque adeo a Thoma Magistro, si dis placet, temerario additamento illata censebat, non cogitans ille quam non sit mirum a Suida omissa verba esse, quippe qui ipsa illa *τὰ ἑξῆς δράματα* apponere non potuerit nec positis verbis nimis stultum se praestare compilatorem voluerit [3]). Hemsterhusius autem majora molitur: „hinc," inquit [4]), „liquido conficitur commentarios ad primum Plutum elucubrasse Symmachum, quandoquidem secundus fabularum ultima in scenam ab Aristophane fuit data." Qui vero? extrane omnem dubitationem positum est, quod Hemsterhusium statuisse oportet, in scholio *τὰ ἑξῆς δράματα* esse, „quae post Plutum Aristophanes docuit [5])," an hoc quoque significare verbis Symmacho licuit: „in fabulis, quas deinceps interpretabimur?" Utrumque quum potuerit eis indicari verbis, nos eam sequemur interpretationem quae altera videbitur probabilior. Atque si Hemsterhusium sequare, vide quantos excitaturus fluctus sis, quos componere deficiant vires; etenim si Sym-

1) Nisi quod Didymus citatur in schol. Lysistr. 313; qui ibidem testis producitur Craterus (ejus enim nomen videtur restituendum pro *Καρτερὸς*, quocum alibi quoque commutatum est; cf. schol. Ran. 320 et Meinek. Quaest. Scen. I, p. 23 not.) non est inter Aristophanis interpretes referendus; nec quum Ammonium laudant schol. Eccles. 610, de interprete cogitant Aristophanis.

2) Ranke de vit. Aristoph. p. CLXXIV seq.

3) Quamquam si posuisset, hanc incuriam non dicerem a Suida alienam esse; cf. enim Suid. s. *χελιδόνων μουσεῖα*, coll. schol. Ran. 93.

4) Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. 366. — In Hemsterhusii ratione acquievit qui levi brachio de Aristophanis interpretibus graecis scripsit, Stoeckerus p. 7.

5) Et hoc ut unice verum sit, inde tamen non consequeretur, non esse de secundo Pluto cogitandum; nam *τὰ ἑξῆς δράματα* possent *Κώκαλος* et *Αἰολοσίκων* esse, quae etsi ab Ararote in scenam datae erant, constabat tamen ab ipso Aristophane scriptas eas esse, ut non esset mirum si hae quoque fabulae ab Aristophanis interpretibus una cum reliquis ab ipso poeta doctis, explicatae essent. Praeterea Hemsterhusianae rationi favere unice, nostrae prorsus refragari Platonii narrationem de interdictu, ne quis comicum *ὀνομαστὶ* aliquem sugillaret (cf. Kuster. ad hypoth. Pluti) nemo dixerit qui Bergkium Comm. p. 142 contulerit.

machus primum Plutum manibus trivit et explicavit, reliquos quoque interpretes eo haud dubie antiquiores omnes [1]) credibile est, item non nostrum sed priorem Plutum interpretatos esse; quodsi esset, mirandumne esset jure optimo, quod tam pauca nobis e primo Pluto tum in aliorum libris grammaticorum, tum in Pluti scholiis extarent servata? — Sufficiunt haec ad Hemsterhusianam opinionem propulsandam alteramque commendandam interpretandi rationem, qua eas intelligendas esse fabulas diximus, quas deinceps Symmachus interpretaturus fuerit; nolui enim scholii ambiguitatem imitari et in hunc modum verba fortasse accuratius vertere: „in sequentibus libri nostri fabulis;" quod quum et ipsum duplici modo intelligi possit, ut sit aut: „in sequentibus fabulis, quarum in libro nostro descriptus contextus est." aut — „quarum dabimus interpretationem," — statim veriorem interpretationem amplexus sum; nam demonstrabo postea ipsum contextum non videri a Symmacho una cum commentario descriptum fuisse, in quo etsi me fefellerit opinio tamen vel sic poterit e scholio colligi quod cummaxime volo: interpretatum Symmachum sequentes illas fabulas fuisse; qui enim potuisset Symmachus alias collectionis suae — si talem edidit — fabulas interpretari, alias non interpretari, sed non nisi ad augendam libri sui molem, satis ceteroquin, opinor, ampli, apponere junctimque cum explicatis edere, praesertim quum critici editoris famam non videatur affectasse? ergo si aliquam edidit fabularum ipsarum collectionem, omnes quae in ea fuerunt fabulas explicasse censendus est, ut sic quoque appareat *τὰ ἑξῆς δράματα* illa a Symmacho explanata esse. Eas autem fabulas dicamus oportet una cum Symmacheo commentario amissas hodie esse; nam in superstitibus fabulis de *Νιτάρῳ* ne *γρῦ* quidem. —

Deinde dignum est quod in rem nostram conferatur lexicum rhetoricum Bekkeri, in quo haec extant [2]): *βατήρ, τὸ ἄκρον τοῦ τῶν πενταέθλων σκάμματος, ἀφ᾽ οὗ ἅλλονται τὸ πρῶτον. Σέλευκος. Σύμμαχος δὲ τὸ μέσον, ἀφ᾽ οὗ ἁλόμενοι πάλιν ἐξάλλονται. ἄμεινον ὡς Σέλευκος. σημαίνει δὲ καὶ τὸν τῆς θύρας οὐδόν, ὃν Ὅμηρος βηλόν, οἱ δὲ τραγικοὶ βαλόν,* — quae haud scio an summo jure a Symmacho in commentario Aristophaneo disputata censeam cujus ea pars hodie deperdita sit [3]). Nam et Seleucus, licet plures fue-

1) Nam Didymum et Euphronium citavit (cf. §. 19), qui, quantum video, Aristophanis interpretes praeter Symmachum fuerunt ultimi inter antiquos.

2) Cf. Bekkeri Anecdot. I, p. 224, 12 seq.

3) Quid quod fortasse ipsum versum, ad quem ista scripsit Symmachus, servatum habemus? Cf. enim Suid. s. *βατρή· ἡ ἀρχὴ τοῦ τῶν πεντάθλων σκάμματος. „αὐτὸν κέκρουκας τὸν βατῆρα τοῦ λόγου,"* φησί τις

rint ei cognomines grammatici iique in diversis occupati argumentis, ab Aristophane non retrahit animum; cf. enim schol. Thesm. 1175 coll. schol. Th. 840 supra a nobis tractato §. 18, et — quamquam hoc quidem argumento in contrariam quoque partem abuti possis, — non scimus hodie aliorum quoque praeter Aristophanem scripta illustrasse Symmachum aut praeter commentarium Aristophaneum quicquam scripsisse. Nam quod Cratini quoque fabulas explicatas commentario a Symmacho fuisse Bergkius contendit, Commentat. p. 264, Herodianum antestatus, *περὶ μον. λέξ.* p. 39, 26; vereor, ne justo citius hoc sibi persuaserit vir doctissimus. Herodianus enim postquam monuit, *κνέφαλλον* pro *τύλη* cum reliquis Atticis Aristophanem quoque dixisse, cujus apposuit versus ex Amphiarao petitos, post pauca adjecit haec: *ἐστὶ μέντοι οἳ καὶ διὰ τοῦ γ γράφουσιν· ἔν τισιν ἐν μαλακοῖς κρατύνου περιεφύλαξε Σύμμαχος,* — quae recte sine dubio emendavit Blochius in hunc modum: *ἔν τισιν ἐν Μαλθακοῖς Κρατίνου παρεφύλαξε Σύμμ.* cf. Herodian. p. 36, 25: *παραφυλακτέον, ὅτι τὸ φάρος — ἀναδέχεται πάλιν ἐν διαφόρῳ σημαινομένῳ τὰ τρία γένη κ. τ. λ.*, unde perspicitur, *παραφυλάττειν* Herodianum eo posuisse sensu, quo in Aristophaneis scholiis poni solet *παρατηρεῖν*, i. e. observare vel singulare aliquid et paulo insolentius non incuriose omittere, sed agnoscere idque verbis consignare. Id igitur certum est, non hoc voluisse Herodianum, Symmachum in edendo Cratino quam invenerit scripturam retinuisse et servasse; ut hoc tantum disceptari possit, in commentario, quem in Cratinum scripserit, an alibi istam observationem Symmachus proposuerit; illud qui putabat Bergkius, ita intellexerit verba oportet: „in locis quibusdam commentarii ad *Μαλθακοὺς* illustrandos scripti observasse Symmachum“ etc., — vereor ut satis recte; neque enim perspicio, qui tam egregia aut necessaria ista fuerit observatio, quam semel proponi non suffecerit, sed quae in unius fabulae interpretatione Symmacho visa sit identidem inculcanda esse. Praestatne igitur alteram amplecti interpretationem, qua hoc dixisse Herodianum puto: *ἐν ἀντιγράφοις*[3]) *τισὶν Μαλθακῶν Κρατίνου* Symmachum non fugiebat scriptum esse *γνέφαλλον*,“ qua admissa interpretatione apparet quam incertum istud Symmachei in Cratinum commentarii vesti-

---

οἷον τὸ ἐπικαιρότατον καὶ τὸ πρῶτον. Certe non indignum Aristophane versum arbitror. — Ceterum eadem atque Suidas ex Aelio Dionysio citavit Eustath. ad Od. *α*, p. 1404, monente Kustero.

3) Non abs re erit monere, alibi quoque in disputationibus grammaticis Herodianum aliquid tribuisse codicum auctoritati, ut si *ἀντίγραφα* citari statuo, id per se quidem non absurdum sit; vide modo ipsum *περὶ μον. λ.* librum p. 37, 1.

gium sit; quin multo videbitur veri similius, eam observationem in Aristophaneo commentario, fortasse ad ipsum istum Amphiarai locum quem Herodianus apposuit, Symmachum exprompsisse.

Sed, dixerit quispiam, ista quae de aliqua deperdita Symmachei commentarii parte disputavimus, si quicquam, nihil docere, nisi Symmachum non aliter atque hypomnematis auctorem deperditas hodie fabulas interpretatum esse, nihilque inde cogi posse nisi hoc, nihil obstare quin *τοῦ ὑπομνήματος* auctor credatur Symmachus fuisse. Recte sane, at sufficere hoc in mea causa arbitror; sed addam tamen tertium locum, qui etiam commendare meam opinionem videtur, qua non diversum utrumque fuisse dixi, e schol. Av. 1283 extr.: *τοῦ δὲ σκυτάλιον τὸ α ἐκτείνεται, ὡς ἐν Ὁλκάσιν, ἔνθα καὶ τὸ Νικοφῶντος ἐξ Ἀφροδίτης Γονῶν παρετέθη κ. τ. λ. — οὕτως Σύμμαχος*; quo loco jam supra usi sumus, quum de deperditarum fabularum commentariis in universum loquebamur; nunc addendum est quod huc cummaxime pertinet, suum ipsius in Holcades commentarium Symmachum citasse videri; nam quum multos saepe interpretes Aristophaneos citaret Symmachus, non est credibile, si *παρετέθη* dicebat simpliciter, ad alium quempiam eum respexisse, quem ultro intellecturos esse lectores quis esset sperare potuisset [1]); immo nisi statuis vel scholiastas pauca suppressisse, vel librarios nomen quoddam omisisse, — neutrum autem video cur factum ipse statuam —, illud solum relinquitur, suos in Holcades commentarios Symmachum jussisse adhiberi. —

Praeterea aliquando placebat quartum adjicere locum, quo illud saltem probari magis putabam, non propter aliquam nimiam Symmachei commentarii brevitatem vel fabularum, quas interpretabatur, paucitatem debere quemquam diversos Symmachum et hypomnematis auctorem putare. Est is in schol. Av. 1297 et ita habet: — *ὁ δὲ Σύμμαχος, ἧκεν, ἐώκει* (leg. *ἐῴκει*). *ὄρτυγα δὲ λέγει ὅτι ὀρτυγοκόπος ἦν* (*ὁ Μειδίας*), *περὶ οὗ προείρηται.* Sed de Midia praeter hunc locum in nostro Aristophane nulla amplius mentio, ut facile esset ad suspicandum, in deperdita aliqua fabula iterum hominem ab Aristophane sugillatum in ejusque fabulae commentario res hominis a Symmacho enarratas esse; quae suspicio primo quidem aspectu magis etiam adblandiebatur, quod *Ἀριστοφάνην ἐν Περιαγγεῖ* iterum

---

1) Hic nolim quisquam oblitum me nonnullos eorum locorum queratur, quos §. 2 enumeravimus; quorum vides paulo diversam rationem esse. Ut enim hoc utar, non potest affirmari, non unum, sed plures in Cratinum commentarios trivisse eum, qui in schol. Vesp. 151 scripsit: *ἐν τοῖς περὶ Κρατίνου διώρισται κ. τ. λ.*, ergo non potest ex isto scholio simile quid colligi, atque quale e schol. Av. 1283 modo colligebamus.

carpsisse hominem refert quicunque scripsit quae Symmachi interpretationi praecedunt, sive Didymus fuit sive Ammonius: *γελοίως διὰ τὸ κυβευτὴν εἶναι καὶ ἐν πυρῷ τοὺς ὄρτυγας κόπτειν* [1]), *οὕτως αὐτὸν νῦν Ἀριστοφάνης προσεῖπε. δηλοῖ δὲ τοῦτο Ἀριστοφάνης ἐν Περιαγγεῖ· „χρηστὸν μὴ κατὰ Μειδίαν ὀρτυγοκόπον.“ λέγει δὲ ἐν Ποαστρίαις ὁ αὐτός, ὡς καὶ περὶ ἀλέκτορος αὐτοῦ ἐσπουδακότος. διαβάλλεται δὲ εἴς τε πονηρίαν, ὡς Πλάτων ἐν Νίκαις, καὶ κλοπῆς* (scrib. *κλοπὴν*) *δημοσίων, ὡς Μεταγένης ἐν Ὁμήρῳ, καὶ συκοφαντίᾳ. κόβαλός τε εἶναι ἐλέγετο καὶ πτωχαλάζων, ὡς Φρύνιχος ἐν Ἐπιάλτῃ* [2]) — Verum enim vero neque de *Περιαγγεῖ* neque de *Ποαστρίαις* Aristophanis fabulis quicquam constat nec ea scholio tribui potest fides, ut utraque inde fabula in deperditarum Aristophanis comoediarum catalogum referatur. Quid quod ne a mutatione quidem aliqu?, quae quam maxime similes alius cujusdam notioris fabulae nomini ductus litterarum in corruptis vocibus detegere studet, certius aliquod et probabilius auxilium peti posse videatur? Namque etsi non absurde pro *Περιαγγεῖ* posses *Πελαργοῖς* scribendum esse suspicari, esset tamen, — quum eundem utriusque fabulae auctorem esse indicet illud *ὁ αὐτός*, — simile etiam *Ποαστριῶν* nomen mutandum, quod in quem alium notae et genuinae Aristophanis fabulae indicem probabiliter mutem non invenio. Quod autem maximum est, hoc ipsum nomen ab Aristophane plane retrahit animum et ad Phrynichum rapit, cujus aliquam eo nomine inscriptam fuisse fabulam constat [3]). Sed qui semel ab Aristophane recesserit, non dubitabit simul cum Meursio [4]) et Kustero ad h. l. pronuntiare, verba ista non Aristophanis esse *ἐν Περιαγγεῖ*, sed Platonis comici *ἐν Περιαλγεῖ* [5]); quod probo illorum virorum judicium; illud autem improbo, quod Platonis restituto nomine scriptoque *Περιαλγεῖ* turbas omnes composuisse se videntur putasse. Componuntur autem ab omni parte si ita mecum scholium scripseris: *δηλοῖ δὲ τοῦτο πλὴν τοῦ Ἀριστοφάνους Πλάτων*

---

1) De his vid. Paul. Leopardum, Emendat. II. c. 5 = Gruter. Lamp. Tom. II, p. 27, qui corrigendum censuit vel *ἐν πύργῳ*, vel *ἐν γύρῳ*. Alterum hoc verius arbitror esse. Cf. Suid. sub *ὀρτυγοκόπος· παιδιά τις, ἐν ᾗ ὄρτυγας ἱστᾶσιν ἐν γύρῳ, κ. τ. λ.*

2) De hac nominis forma Meinekio assentior, Quaest. Scen. II, p. 8 seq.

3) Cf. Suid. sub *Φρύνιχος*, et Brunck. ad Aristoph. Fragm. p. 212. Quamquam ejusdem tituli fabula Magneti quoque tribuebatur; cf. Meinek. Quaest. Scen. I, p. 12.

4) Cf. Meurs. in biblioth. Attic. p. 1447, qui tamen Aristophanis eam fabulam (*περιαλγής*) fuisse voluit.

5) Optimum emendationis fidejussorem Meinek. produxit in Quaest. Scen. II, p. 22, — scholiastam Luciani, Tom. II. p. 696.

ἐν Περιαλγεῖ· „χρηστὸν — ὀρτυγοκοπον [1]).“ διαβάλλεται δὲ — καὶ πτωχαλάζων, ὡς Φρύνιχος ἐν Ἐπιάλτῃ. λέγει δὲ ἐν Ποαστρίαις ὁ αὐτὸς ὡς καὶ περὶ ἀλέκτορας αὐτοῦ ἐσπουδακότος. Quae si vere conjeci, statim nobis tum Aristophanea aliqua fabula hodie deperdita, in qua Midias simili atque in Avibus ratione vituperatus fuerit, tum Symmachi in eam fabulam commentarius repente de manibus elabitur; id quod equidem non querar magnopere, praesertim quum verba illa, quibuscum nobis res est, Σύμμαχος· — περὶ οὗ προείρηται, facilius etiam videantur expediri posse, quam ut ad deperditae fabulae commentarium refugere necessarium sit. Neque enim improbabile est, Symmachum ipsum, ut qui quae praecedunt in librum suum retulerit et ipsa, quum suam proponeret sententiam, de ejus fundamento ad alius ab ipso modo citati grammatici copias respicere potuisse; quo denuo comprobetur, quod de Symmachi libro ut aliqua priorum interpretum collectione supra exposui. — Quamquam, — ne quid dissimulem — nihil impedit, quominus non tam Symmachum, quam aliquem scholiorum collectorem ista περὶ οὗ προείρηται ob eandem causam posuisse credatur [2]).

Quodsi in schol. Av. non ad suos commentarios Symmachus respexit, simul non possum jam eodem loco ad aliam quoque rem uti; fuit enim quum me sperarem demonstraturum, Symmachum eundem in interpretando tenuisse fabularum ordinem, quem supra probavimus in hypomnemate constanter fuisse servatum, — ut inde quoque persuadere lectoribus studerem, Symmachum ejus hypomnematis fuisse auctorem. Quam in rem potuissem fortasse illo quoque loco uti. Sed quum in universum ea spe exciderim, singularem quoque illum locum non doleo magnopere mihi ereptum. Interim tamen non celabo quae, dum ista spe tenebar, invenerim bonae quidem illa frugis, sed quae non sufficiunt ad ea quae sectabar demonstranda. Neque enim quicquam demonstrari potest nisi hoc, Symmachum quoque sequutum in interpretandis fabulis ordinem aliquem fuisse qui temporum rationem nihil curabat; idque aperte consequitur ex Symmachi verbis in schol. Plut. 1012, si — quode non dubito — et illa: ἐν τοῖς ἑξῆς δράμασι, recte interpretatus sum, et non primum Plutum a Symmacho esse explicatum jure affirmavi.

---

1) Recte opinor versum emendavit Bergk. Comm. p. 425: χρηστόν γε μὴ κατὰ Μειδίαν.

2) Cf. supra §. 11 p. 35 not 5 extr.

§. 25.

Tandem ad ultimum accedo argumentum, quo non alienum esse a Symmacho ὑπόμνημα, a scholiastis usurpatum, demonstrare me posse credo. Est id a scribendi cogitandique ratione repetitum, quod tametsi pulchre scio quam fallax saepe sit et in errorem ducat argumentum, tamen ubi plura in eandem rem consentiunt testimonia, hoc quoque est aliquid, quo carere vix possumus, cuique, si suppetit, aliquid par est momenti tribuere et ipsi. Repetenda autem hic denuo ejus scholii memoria est, quod saepius jam in tota hac disputatione adjuvit nos egregie, ad Plut. 1037: *ἐν τῷ ὑπομνήματι οὕτως· τοῦτο τι ἐστιν οὐκ οἶδα, ὅτι δὲ συμβάλλεται ἐν Μαρικᾷ Εὐπόλιδος οἶδα· κἀκεῖ γὰρ τὴν Ὑπερβόλου μητέρα τηλίᾳ εἰκάζει τῇ πλατείᾳ σανίδι κ. τ. λ.* Hinc vides quam sobrius fuerit interpres ὑπομνήματος auctor quamque alienus ab eorum levitate, qui pessima quaeque capitis somnia effundere et nescio quid absurdi et inepti hariolari malunt libentius, quam nescire se quidpiam ingenue fateri. Sed quae in commentario conspicitur cauta et sobria interpretandi ratio, eadem in eis recurrit scholiis, quibus praefixum Symmachi nomen est; vide modo schol. Av. 1297: *σαφὲς οὐδὲν ἔστιν εὑρεῖν.* schol. Av. 1379: *τοῦτο δὲ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν.* schol. Av. 1679: *οὐκ ἔστιν ὁ τούτου νοῦς φανερός.* schol. Av. 1001: *τὰ δὲ ἑξῆς ἀδιανόητα.* schol. Equit. 958: *ἔοικε χρησμός τις εἶναι.* schol. Av. 439: *Αἰσωπείου λόγου ἤ τοιούτου τινὸς, ἔοικε μεμνῆσθαι.* schol. Equit. 1253: *φαίνεταί τις γραμματεὺς οὗτος.* schol. Av. 1294: *φαίνονται τὸν Λυκοῦργον Αἰγύπτιον εἶναι νομίζοντες ἢ τὸ γένος ἢ τοὺς τρόπους.* schol. Ran. 744: *φαίνονται — λέγειν.* schol. Vesp. 1302: *εὐλογώτατον ἂν εἴη τραγικὸν ὑποκριτὴν Φρύνιχον.* schol. Av. 303: *μήποτε οὐχ ἕν ἐστιν ἀλλὰ δύο* (quocum confer mihi haec in schol. Av. 17: *οὐκ ἔχομεν δὲ νίὸν αὐτοῦ διὰ τῆς κωμῳδίας εἰπεῖν. μήποτε οὖν — κατὰ περίφρασιν εἴρηκεν κ. τ. λ.* quae magis jam apparebit cur supra [1]) conjecerim Symmachi esse verba schol. Av. 1294 *μήποτε* etc. [2]) schol. Equit. 84: *Σύμμαχος δέ φησι ψεύδεσθαι τὸ περὶ Θεμιστοκλέους. οὔτε γὰρ Ἡρόδοτος, οὔτε Θουκυδίδης ἱστορεῖ.* schol. Ran. 1225: — *παρατήρησις τοῦ Συμμάχου* —. Quae si reputas tertiam earum observationum esse partem quibuscum Symmachi nomen omnino conjunctum est, concedes, opinor, mihi integrum Symmachi commentarium refertum plane ejusmodi providi et cauti animi indiciis fuisse, atque adeo eam sobrietatem et quasi timiditatem penitus ejus animo fuisse in-

---

1) Cf. §. 23 init.
2) Cf. Bergk. Comment. p. 40.

sitam atque innatam, ut appareat quantum ejus generis indiciis ad sua Symmacho restituenda tribuendum sit. Hinc equidem vel ob eam solam causam non dubitarem magnopere, quin Symmachum loquentem audirem in schol. Vesp. 544; 968, Av. 281; 556; 1075 (quae supra [1]) ob eandem causam conjecimus e τῷ ὑπομνήματι deprompta esse), nisi id nunc quidem etiam propter commentarii Symmachei rationem probabile esset. —

Praeterea autem idem illud in Plutum scholium in aliam quoque rem videtur utile fore. Fallorne enim an recte agnosco in isto scholio nescio quod affectatum et sophisticum dicendi genus, quod eis quae simplici ratione atque oratione dici poterant quasi quendam fucum obducit, ut non possis nisi per transennam aliquam veram formam aspicere; haeccine enim simplex oratio est hominis de re magis quam de verbis solliciti: *τοῦτο τί ἐστιν οὐκ οἶδα, ὅτι δὲ συμβάλλεται — οἶδα* —? quamquam etiam magis sophistici quid redolet ejus oratio qui ad eundem versum haec scripsit, sed ex eodem fonte, cujus quum nomen reticeret, compensare hoc studuit quicquid fuit injuriae pulchrioribus, si dis placet, floribus ex eodem horto fontem ornans: *τηλία ἔχει μέν τι καθ' ἑαυτὸ ἄπορον. ἐὰν δὲ τὸ ἐν Μαρικᾷ προσέλθῃ — ἀπορώτερον ἔσται. ζητητέον οὖν κ. τ. λ.* — Sed ab eodem scribendi genere num Symmachus descivisse censendus est quum haec scriberet ad Equit. 974, quae eodem nitent fuco: (*Σύμμαχος·*) *σκέψασθε τί δή ποτέ ἐστι τὸ δεῖγμα τῶν δικῶν. παρεῖται γάρ, εἰ μὴ τὸ δεῖγμα τόπος ἐστὶν ἐν Πειραιεῖ, ἔνθα πολλοὶ συνήγοντο ξένοι καὶ πολῖται, καὶ ἐλογοποίουν. τὸ δὲ τῶν δικῶν προσέθηκεν, ἵνα διαβάλλῃ τὸ φιλόδικον τῶν Ἀθηναίων.*

§. 26.

Quodsi manifestum est, quaecunque de hypomnemate extricari poterant, quod unicum ejus generis se tractasse ipsi indicant scholiastae, ita comparata esse omnia, ut, quamvis non ea sint quae omnibus commentariis eo ipso quod sunt commentarii soleant communia esse, in Symmachi libro denuo vel hodie conspiciantur: nunc demum clarissime apparet, quantum sit fidei subscriptionibus illis e Veneto et Leidensi codice prolatis tribuendum, quas suspectas, certe non multae auctoritatis oportebat esse dum ex ipsorum scholiorum indole nondum erat quam proxime accederent veritati demonstratum. Sed munita ipsarum auctoritate primum illud licebit affirmare, ad Aves, Pacem et Nubes explicandas Symmachi commentarium a scholiastis fuisse

1) Cf. supra §. 5 extr.

adhibitum, et adhibitum ab antiquis scholiastis, et ita adhibitum, ut unicum iste commentarius scholiastis ejus generis adjumentum fuerit, quo ultimo paululum quidem mutari subscriptionum memoria videtur, at hanc specie tantum non revera nostrae adversari sententiae postea apparebit. — Deinde autem iisdem illis subscriptionibus jam tantam licebit tribuere vim, ut si non specie at revera ad omnes pertinere fabulas ad eosque codices omnes, quorum antiqua dicimus scholia, dicantur jure, i. e. ut Symmachi librum affirmemus ad omnes explanandas fabulas omnibus scholiastis suppeditasse quicquid boni et antiqui tradunt, eumque si non unicum, at praecipuum nostrorum in Aristophanem scholiorum fontem esse.

Hoc, si summam rem spectas, certissimum arbitror esse nec quemquam aliter judicaturum spero. Itaque non dubitabo ad Symmachi memoriam magis etiam illustrandam eis quoque uti scholiis, quae Symmachi esse vel ex hypomnemate deprompta non constat diserto testimonio; modone a novitio quodam scholiographo imponi nobis patiamur neve unquam abstineamus acri judicio, quo antiqua et magis sincera a recentioribus scholiis distinguamus. — Hujus autem observationis mox magnus erit usus tum ad alia, tum ad eam dijudicandam quaestionem, quae est de aetate qua conscriptum hypomnema sit. Id quum olim facile videretur invento Symmacho auctore explanari posse, tamen quum rem ipsam aggrediebar, ea ratione in lucem protrahi non potuit, quandoquidem ipse Symmachus aliunde non magis quam e scholiis Aristophaneis notus est; ut appareat igitur longiorem impeditioremque viam ingredi oportere. Quamquam equidem non fugiens ceteroquin aut justo citius pertaesus viam impeditam, sed fortiter ingressus et molestiam patienter tolerans, non potui hucusque certissimis argumentis quaeque omnem statim dissensum propulsent illud demonstrare, qua aetate Symmachus vixerit quove tempore suum illud hypomnema conscripserit; id unum certo scio, Atheniensem hominem fuisse testante scholiasta ad Acharn. 145: — *ἐλέγετο δὲ οὗτος Τήρης. ἔνιοι δέ φασιν, ὅτι ὁμώνυμος ἦν τῷ πατρὶ Σιτάλκει, Σύμμαχος Ἀθηναῖος μέμνηται;* cui testimonio non video cur fidem denegem, aut alius atque quem quaerimus Symmachi memoriam inesse putem, quum pulchre perspiciam cur hoc solo in loco operae pretium duxerint scholiastae, cujas fuerit Symmachus indicare; namque quoniam de cive Attico agebatur, de eo putabant optimum et esse testem et visum iri omnibus, qui et ipse esset Atheniensis. — At de aetate viri si quaeris, hoc habeto. Quum Suidas saepius Symmachum diserte citarit, Eustathius autem ejus librum aperte indica-

verit [1]), consequitur primum Symmachi aetatem ultra decimum primum vel ad summum decimum secundum post Christum saeculum non posse rejici; sed ex duobus illis grammaticis priorem, Suidam, certum est ipsius Symmachi librum non usurpasse; aliter enim non potuisset Symmacheam interpretationem cum ejusdem reprobatione junctim in volumen suum recipere [2]). Satis igitur longum inde a scripto Symmachi libro praeterlapsum tempus erat, priusquam Symmachi copiae, hic illic correctae et vituperatae sive per scholiastas sive per lexicographos aliosque ejus generis homines Suidae innotuerunt; utri enim doctorum generi scholiastis an lexicographis sua debeat Suidas, non poterit certo affirmari, antequam de lexicographorum indiculo Suidae exemplaribus praemisso quid statui oporteat, ratione ac via demonstratum erit. Melius autem ab hac quidem parte disputationi nostrae provisum est Ritschelii disquisitione de aliquot Etymologici magni fontibus, quod ille persuasit [3]) non minus quam Etymologicum Gudianum transcriptum tenere Orionis lexicon, item alia multa ex Ori Milesii scriptis [4]), quae et ipsa maximam partem excerpta ab Orione fuerint [5]); sed inter Ori saeculo post Christum secundo vel tertio [6]) clari grammatici notationes multa sunt, quae *λέξεις* quoque *κωμικὰς* tractasse virum indicare videantur [7]); inde autem credibile est fluxisse, quae extant in Etymologico magno p. 200, 38 seqq.: *βλιμάζειν τὸ τιτθολαβεῖν, ἤγουν ψηλαφᾶν τὰ στήθη καὶ τοὺς μαστοὺς καταλαμβάνειν τῇ ἀφῇ, καὶ ἅπτεσθαι τῶν ἀποῤῥήτων μελῶν τῶν γυναικείων καὶ διεγείρειν τὰς ἐπιθυμίας, ὥς φησι Κρατῖνος· ὡς μαλακὸν καὶ τέρεν τὸ χρωτίδιον ὦ θεοί. Καὶ γὰρ ἐβλίμαζον αὐτὴν. ἡ δ' ἐφρόντιζεν οὐδὲ ἕν* [8]). — *εἴρηται δὲ*

1) Cf. supra §. 9.
2) Cf. supra §. 22.
3) Cf. Ritschl de Oro et Orione p. 14.
4) Cf. id. ibid. p. 29, 45, etc.
5) Cf. id. ibid. p. 31 seq.
6) Cf. Ritschl. l. l. p. 11, qui eum posuit Phrynicho fere aequalem, assentiente Lehrsio, in Zimmermanni diurn. ann. 1835, n. 56, p. 449. Cujus rationes etsi probo in universum, tamen Phrynichum et Herodianum impugnari ob Oro potuisse puto etiam aliquot jam annos mortuos, ut si medio fere saeculo p. Chr. tertio vixisse Orum statuam, non videar cupidius rei meae prospexisse.
7) Cf. Ritschl. ibid. p. 70. Cf. imprimis Etym. Mag. s. *τηλία*.
8) Cratini fragmentum Runkelius posuit n. 41, p. 82, nec ausus est quicquam mutare, e cantico chori desumpta verba putans et metri incerti. Equidem tamen trochaicos numeros agnoscere mihi videor atque in hunc modum emendanda verba censeo:

ὥς (τι) μαλακὸν καὶ τέρεν τὸ χοιρίον τόδ', ὦ θεοί.
καὶ γὰρ ἐβλίμαζον αὐτήν, ἡ δ' ἐφρόντιζ' οὐδὲ ἕν.

In his primum *ἐφρόντιζ'* et *χοιρίον τόδ'* certissimum arbitror; ultimum sive *τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον* (cf. schol. Aristoph. Ach. 737 et Brunck. ad Acharn. 771) sive *τὴν γυναῖκα* (ut apud Aristoph. Vesp. 1353; quocum

παρὰ τὸ φλίβω, ὅθεν καὶ φλιά, καὶ Ὅμηρος [1]) —. παράγωγον φλιμάζω. καὶ ὡς φλίβω, θλίβω, οὕτω φλιμάζω, βλιμάζω. Φαεινὸς δὲ καὶ Σύμμαχος παρὰ τὸ βλιμάζειν, τοῦ μαζοῦ ἐγκειμένου [2]) κ. τ. λ. quae in brevius contracta redeunt in Etymologico Gudiano p. 110, 19 seq.; nam quod ibi hodie quidem legitur βλημάζειν κ. τ. λ. mirum est manifestum librariorum vitium non correxisse Sturzium. — Est autem aperte ista observatio ex Symmachi commentariis Aristophaneis petita et extat etiamnunc in scholiis, licet non addito Symmachi nomine; mirum enim esset ni huc pertineret schol. Av. 530: βλιμάζειν δὲ κυρίως τὸ τοῦ ὑπογαστρίου καὶ τοῦ στήθους ἅπτεσθαι, ὅπερ ἐποίουν οἱ τοὺς ὄρνιθας ὠνούμενοι, οἱονεὶ θλιβομάζειν. Quae si cum Etymologici verbis comparantur, apparebit opinor scribendum ibi esse: — παρὰ τὸ θλιβομάζειν τοῦ μαζοῦ ἐγκειμένου [3]); illa enim quae nunc vulgantur: (βλιμάζειν) — παρὰ τὸ βλιμάζειν sensu carent neque tamen cuiquam hucusque quod sciam fuerunt offensioni. — Sed si recte conjeci, quod est sane maxime probabile, istam Symmachi originationem ex Ori scriptis in Etymologica manasse, statim illum habemus secundo saltem post Christum saeculo vel ad summum tertii saeculi initio clarum inque concinnandis priorum interpretum Aristophaneorum commentariis occupatum. Neque recentior Symmachi aetas videtur e lexico rhetorico Bekkeri colligi posse, quod etsi non constat qua aetate scriptum sit, ita tamen comparatum est, ut vel totum prioribus post Christum saeculis conscriptum vel a recentiore grammatico ex tam antiquo libro maximam partem conflatum sit. In eo igitur lexico citatum Symmachum vidimus, et una citatum cum Seleuco, qui sive Homericus fuit [4]) sive γλωσσῶν scri-

---

confer πόσθων in Aristoph. Pac. 1266) significare velis perinde est. Incertius autem τι est, cui tamen ne illud opponas; ὡς ita a voce sua dirimi, cf. simile exemplum in Arist. Nub. 210: ὡς τοῦτ' ἀληθῶς Ἀττικὸν τὸ χωρίον, et quae Rückertus collegit, in Platon. Conviv. p. 146; item Poppo, observat. in Thucyd. p. 223.

1) Homeri versum apposuit, ex Odyss. 17, 221, at φλίψεται habet, non θλίψεται.

2) Quae sequuntur, non ad βλιμάζειν, sed ad βλίττειν pertinent, quod eadem fere ratione explicatur in schol. Equit. 791 et Lysistr. 475. Sed haec duorum articulorum in unum confusio quum redeat in Etymol. Gudiano, item apud Suidam sub βλιμάζειν, nemo debebit emendandi viam ingredi velle.

3) Nisi praestat fortasse, tum in Etymologico magno, tum in scholio ad Av. 530 scribi θλιμάζειν; ita enim habet Suidas sub βλιμάζειν, ubi maximam scholii Aristophanei partem descripsit: fortasse etiam neutrum horum verum est, sed tertium hoc unicuique testi restituendum: θλιβομάζειν, θλιμάζειν. — Illud autem certum est, non esse in Etymol. Magno corrigendum: τοῦ μαζὸς ἐγκειμένου vel τοῦ τὸ μαζὸς ἐγκειμένου, quod cavet Lehrsii admonitio in Zimmerm. diurn. l. l. p. 457 sive in Quaest. epic. p. 325 seq.

4) Eum sub Tiberio floruisse putabat Menagius ad Diog. Laert. 3, 109;

ptor [1]), societate sua Symmachum non pati videtur ad recentius quam quod posuimus saeculum detrudi. Tum videndum, sintne eae quoque notationes, quae in Orionis lexico p. 8, 23 seq. et p. 18, 22 seqq. citantur ex „ὑπομνήματι εἰς Ἀριστοφάνην,“ et in scholiis Aristophaneis (i. e. in excerptis ex Symmachi commentario) redeunt paululum decurtatae, ex Ori libris depromptae: ut sic quoque appareat Oro antiquior Symmachus, si quidem vere hujus ὑπόμνημα ab Orione citari statuo.

Longiorem in invenienda Symmachi aetate viam ingressi sumus, licet multo breviorem minusque impeditam patere affirmarit quispiam qui memor sit Herodiani, cujus supra produximus ex libro περὶ μον. λέξεως locum hunc: — παρεφύλαξεν Σύμμαχος κ. τ. λ.; namque alium atque quocum nobis res est ab Herodiano intelligi hominem, nec alii facile persuaderi sibi patientur nec ipse credo; at illud nondum mihi licuit explorare quam verum sit, quod Dindorfius affirmat, Praef. gram. graec. p. III, immunem istum Herodiani libellum ab grammaticorum interpolationibus esse, ceteris omnibus qui Herodiani nomine inscripti adhuc prodierint libellis dissimili prorsus fortunae obnoxiis. Sed hoc doctioribus ut excutiant relinquo; ipse quod potero faciam. Nimirum istum Herodiani locum qui est de κνεφάλλῳ unicum video in toto esse libello, quo seposita quam tractabat materia ad aliud argumentum evagatus sit cum ista nullo necessitatis vinculo conjunctum; id quod eam saltem vim habebit, ut ne confidentius ob istud solum testimonium pronunties, Symmachum Herodiano non fuisse recentiorem, neve inutilem et supervacaneam nostram censeas operam qua idem conabamur demonstrare, secundo saltem p. Chr. saeculo ad summum tertii initio Symmachum vixisse; cui quidem demonstrationi hoc addo, quod haud sane leve est, ipsum illud tempus egregie convenire labori qualem Symmachum subiisse demonstravimus. „Postquam enim Herodianus, quique cum eo labore et diligentia certarunt de promovendis litteris Atticistae magnam doctrinae molem, ad linguam imprimis spectantis, in unum contulerunt criticesque legibus in artem aliquam redegerunt, pauci extitere, qui quam illi monstraverant viam denuo ingredi proprioque Marte magis etiam colere sustinuerint; immo melius et utilius putabant fore, si quae illi comportaverant, in breviorem summam contraherent, itaque ad usurpandum

---

cui vereor ne Rankius (de vit. Arist. CLXXIX not. 61) injuria assensus sit; namque Juba, Augusti aequalis, Seleuci ἀπορίας solvere conabatur secundum schol. Arist. Thesmoph. 1175, correctum a Dindorfio, Frag. Aristoph. p. 147.

1) Cf. Voss. de historicis graec. p. 412. — Utrumque eundem esse putavit Kuster. ad Suid. s. Σέλευκος.

aptiora et faciliora redderent [1])." Itaque hoc tempore floruit Athenaeus, studiosus multorum librorum lector et epitomator, floruit Aelianus, qui in argumento versabatur non admodum dissimili; floruit Diogenes Laertius, item multorum et antiquorum librorum epitomator; floruit non admodum multo illis antiquior Diogenianus, qui Zopyrionis et Pamphyli [2]), item Didymi [3]), fortasse etiam aliorum λέξεις in unum corpus conjunxit; hac denique aetate (ut alios omittam, quorum obscurior memoria est) ille vixit, quisquis tandem fuit, qui ex Aristonici, Didymi, Herodiani, Nicanoris libris Homericis prima jecit scholiorum Codicis Homerici Veneti A fundamenta [4]), non multum ille Symmacho nostro dissimilis, nisi quod in codicis alicujus Homerici oras comportavit quas Symmachus in proprio aliquo libro conjunxerat veterum interpretum observationes suis adjectis interpretationibus. — Qua in re, ut paucis describam ejus commentarii oeconomiam supra hic illic indicatam, ita reperio virum versatum esse, ut fere nisi in rebus obscurioribus et difficilioribus, aut si quid parum recte antiquiores videbantur adnotasse, horum non afferret placita, idque breviter additisque plerumque ni fallor ipsorum nominibus, modo ipsorum servatis verbis integris — si quidem breviora erant —, modo in brevius contractis, modo ita quoque, ut si qui in eandem sententiam consentirent plures numero, unius tantum vel integra vel decurtata apponeret verba; brevitati autem quum studeret, consentaneum erat, ut quae alibi a se explicata monere videbat antiquiores interpretes tacite in rem suam converteret, nec nisi rarissime — ut in schol. Plut. 9 [5]) — ipsos illos sineret in suo commentario loqui et ad ipsorum provocare scripta. Quocum conjunctum erat, ut interdum ubi facilis expeditu res erat, etiam tacite illorum uteretur interpretationibus tamquam suis quas illi in eo ipso quem Symmachus interpretabatur loco proposuerant. Tum suam ipsius interpretationem subjiciebat, qua in re quomodo se gesserit imprimis ex schol. Ran. 744 apparet, ubi longior ejus oratio apposita est integra [6]); num

---

1) Verba sunt Bernhardii, histor. litter. graec. I, p. 423.
2) Cf. Ranke de Hesych. p. 72 seqq.
3) Cf. id. ibid. p. 134 seqq.
4) Haec probabilis est de aetate viri Lehrsii suspicio, de Aristarch. p. 35. Longe tamen aliter statuerat Götling. Praefat. ad Theodos. p. XIII, quem jure castigat Mützell de Theogon. p. 294 not.
5) De talibus locis difficillimum plerumque est judicium, ut multa exempla aliqua probabilitatis specie afferre me posse non credam; sed certiora talia sunt exempla, ubi de ipso illo loco cui appositum scholium est tamquam de adventicio aliquo et secundario nec nisi in alius usum adhibito disputatur, ut in schol. Equit. 1181 et Vesp. 884. Quamquam ea exempla non ejusdem omnia sunt generis.
6) Schol. Ran. l. l. Σύμμαχος οὕτως αὐτῇ τῇ λέξει· φαίνονται κ. τ. λ.

autem etiam alia praeter verborum interpretationem attigerit, postea patebit. —

§. 27.

Eam autem Symmachi aetatem si conjectura recte sumus assecuti, certius haec pertractari poterit quaestio, quos fontes Symmachus sequutus sit, quorum autem usus post illum demum scholiastis aliunde patuerit. Quamquam vel sic facillime hic potest errari, quandoquidem multorum aetas scriptorum in scholiis citatorum non constat satis certo. Sed illud primum certissimum est, copiam Symmacho fuisse interpretationum et observationum Callimachi, Eratosthenis, Aristarchi, Callistrati, Didymi, Euphronii, Dionysii Zopyri; hos enim ipse citavit Symmachus: cf. §. 19. E quibus — lubet enim antiquorum grammaticorum in Aristophane positam operam quantum fieri poterit una cum Symmachi memoria explanare, — **Callimachus** justum commentarium in Aristophanem non scripsit, concedente etiam Stoeckero, de Sophocl. et Arist. interpret. graec. p. 4. Ex ejus libris in scholiis citantur primum *πίναξ τῶν — διδασκάλων*, de quo Rankium vide, de vit. Aristoph. p. CLVIII seqq. [1]); tum *ἡ τῶν ῥητόρων ἀναγραφὴ* in schol. Av. 692; postremo liber *περὶ ὀρνέων* (cf. Suid.) in schol. Av. 305; 306; 765; 883; 1181. — Tum **Eratosthenes** item non propriam Aristophani operam impendebat, suntque ejus observationes, in scholiis servatae, sine dubio ex libris *περὶ κωμῳδίας* (de quibus Bernhardium vide Eratosthenic. p. 203 seqq.) depromptae fere omnes; leguntur autem in schol. Plut. 797; 1194; Ran. 1026; 1261; Nub. 447; 544; 954; hypothes. in Pac.; schol. Pac. 48; 70; 199; 686; 739; Equit. 958; Vesp. 239; 502; 704; Av. 122; (556); Thesmoph. 516. — Sed **Aristarchus** non dubito quin omnibus editoris et interpretis Aristophanei partibus satisfecerit, nec unam tantum alteramve fabulam in discipulorum suorum gratiam leviori *τῶν σχολικῶν ὑπομνημάτων* instituto attigerit; quamquam hoc eo videtur commendari, quod in Ranarum potissimum scholiis Aristarchi memorantur placita: ad v. 134; 191; 308; 320; 354; 372; 968; 988; 1122; 1142; 1147; 1204 (conf. Bergk. comm. p. 95 not.); 1267; 1396; 1409; 1418; 1433; 1448; sed vide etiam schol. Equit. 563; 1276; Vesp. 220; (Nub. 110, ex Ruhnkerii et Hermanni conjectura non ad-

---

Pro isto alias eodem sensu legitur *κατὰ λέξιν* cf. schol. Ran. 55, Acharn. 92, etc.

1) Rankio (l. l. p. CLIX not. 100) assentior etiam de schol. Av. 1242, nisi quod simul scribendum censeo: *ὁ μὲν Καλλίμαχος, „Ἀριστοφάνης, γράφων οὕτως· Α. β.,“ φησί, „ταύτης — οὐ μέμνηται.“*

modum certa); Equit. 485; 752; Pac. 1125; 1176 [1]); Thesm. 31. — Paulo saepius citatur **Callistratus**, non ignobilis profecto grammaticus, cujus in alios quoque poetas extabant commentarii; de Aristophaneis viri studiis, quae ad crisin pariter atque ad interpretationem pertinebant, cf. schol. Plut. 179; 385; 718; 1110; Ran. 92; 222; 270; 567; 588; 693; 789; 790; 825; 1418; Pac. 344; 1025; 1092; 1131; Vesp. 157; 213; 604; 675; 772; 804; Av. 436; 439; 530; 933; 997; 1337; 1378; Thesmoph. 917. — De **Didymo** paulo post disputabitur; quo recentiorem **Euphronium** vixisse puto, ignotum ceteroquin grammaticum, sed quem Athenaeo fuisse antiquiorem docet Athen. XI, p. 495 C. Ubi quae citantur ejus *ὑπομνήματα* non videntur a commentariis Aristophaneis diversa esse [2]). Horum vestigia supersunt in schol. Plut. 385; 904; Ran. 1091; Nub. 1246; Vesp. 604; 606; 674; 675; 696; 1005; 1086; 1144; Av. 266; 299; 358; 765; 798; 872; 933; 997; 1378; 1403; 1536; 1563; 1741; item ni fallor in Etymol. Magn. sub *ἐνεργμός*, et apud Photium p. 383, 21 vel Suidam sub *πορaιξορoῦσιν* (unde *Ταγηνιστὰς* quoque Aristophanis interpretatum hominem esse suspicor); quorum pleraque non admodum accuratum interpretem Euphronium fuisse docent [3]). — Postremo **Dionysium Zopyrum** aliunde se nondum cognovisse profitetur Meursius, de Dionysiis (Gronov. thes. Tom. X) p. 603; itaque facile persuadet Fabricius, bibl. graec. IV p. 413 et VI p. 364 Harl., *Διονύσιον καὶ Ζώπυρον* legendum esse, quos item composuerit Diogenes Laertius VI,

---

1) Haec observatio fluxit fortasse Aristarcho invito e commentariis Homericis; cf. schol. Venet. Il. ι, 541. Solebant enim recentiores grammatici quae Aristarchus de Homerico sermone indagarat, ad alios quoque poetas transferre; cf. schol. Apoll. Rhod. I, 299 coll. schol. Venet. A ad Il. α, 131, et schol. Apoll. Rhod. I, 769 et 3, 37 coll. schol. Venet. A ad Il. π, 228, etc. Idem de aliis aliorum observationibus valet; ita in schol. Apoll. Rhod. 4, 973 est: *μνημονεύει δὲ (τοῦ ὀρειχάλκου) καὶ Στησίχορος καὶ Βακχυλίδης καὶ Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς ἐπισημαίνεται*, — unde Fabricius bibl. graec. Tom. IV. p. 265 Harl. suspicabatur, Aristophanem in recensendo Apollonio occupatum fuisse, jure propterea notatus a Weicherto, de Apoll. vit. et script. p. 393. — Atque hoc quidem habebit aliquam vim in ea dijudicanda quaestione, quam Ruhnkenius movit, Praefat. Hesych. p. VIII, num grammaticos antiquos aequalis poetae opera commentariis illustrasse credibile sit; — in quo Ruhnkenium in universum quidem errasse Meinekius monet, de Euphorione, p. 17, not. 7 Add. Merkelium, Prolus. ad Ovid. Ibin p. 347.

2) Bergk. comment. pag. 9 potius commentarium in Cratinum intelligit.

3) Antipatrum nescio quem qui in schol. Av. 1403 una cum Euphronio citatur, ut qui Lasum Hermionensem primum *κυκλίους χοροὺς στῆσαι* memoriae prodiderint (*Ἀντίπατρος δὲ καὶ Εὐφρόνιος ἐν τοῖς ὑπομνήμασί φασι*), non dixerim cum Stoeckero l. l. p. 11 commentarios in Aristophanem scripsisse. Sed quod una cum Euphronio in testimonium vocatur hoc videtur non multum recentior fuisse.

100; quamquam ne sic quidem constat ab omni parte, de quibus cogitarit Symmachus; hoc autem certissimum videtur, non de industria viros Aristophanem vel emendasse vel interpretatos esse. —

Horum autem grammaticorum unum alterumve in eis quoque scholiis intelligendum arbitror, quae §. 5 et §. 6 enumeravimus, unde quam instructus ab antiquis et bonis commentariis Symmachus fuerit apertum est. Sed possunt ibi aliorum quoque intelligi commentarii inter eos, quos deinceps enumerabo, unde perspiciatur denuo, quot olim docti viri Aristophani operam navarint, Symmachumque nostrum in explicando Aristophane adjuverint. Ducat agmen Lycophron, quem commentarium in Aristophanem conscripsisse certissimum visum est Stoeckero, p. 9; ego Hemsterhusium potius sequor, ad Plut. p. 470, et Meinekium, Quaest. Scenic. III, p. 3, qui quae passim citantur in scholiis Lycophronis placita ex libris περὶ κωμῳδίας sumta putarunt; vide schol. Plut. 1194; Pac. 199; 686; Vesp. 239; 704; ibid. 91; 103; Thesmoph. 567. — Contra Aristophanem Byzantium cognominem sibi poetam illustrasse commentario idem Stoeckerus negabat, l. l. p. 6; at mihi sat certa ejus commentarii vestigia extare videntur in schol. Nub. 994; Ran. 1204 (cf. Bergk. comment. p. 95 not.); Av. 1541 et 1620, ne quid de argumentis metricis dicam (de quibus vide Bernhardyum, histor. litter. graec. I, p. 135), quae in aliam rem potuit componere. Editionis autem Aristophaneae memoria extat in schol. Ran. 153 et Thesmoph. 162. Praeterea Aristophanes ἐν ταῖς ἀμέτροις παροιμίαις citatur in schol. Av. 1292, ad eundemque librum respici arbitror. ibid. ad v. 1463. Jam una restat de accentu observatio in schol. Nub. 1134, quo Lehrsius uti potuit de Aristarch. p. 258. —

Sequitur Crates Pergamenus, quem non tam propter ἀναγραφὴν δραμάτων affero, — nam de hac incertior res est quam Meinekio visum, Quaest. Scen. III, p. 5 — quam ob ἀττικὴν διάλεκτον, in qua etiam de verborum significatione exposuisse eum oportet; vide modo Athen. III, p. 114 A; VI, p. 235 B; XI, p. 495 A; p. 497 E; XIV, p. 640 C; imprimis autem eundem, IX, p. 366 D, ubi Aristophanis versum in Equit. 629 male in hunc modum citasse Crates dicitur: καὶ βλέπε σίναπι καὶ τὰ πρόσωπ᾽ ἀνέσπασε. Eum igitur librum tum in hypothes. I ad Pac. laudatum arbitror tum in schol. Ran. 294, Pac. 259, Vesp. 884 (de quo scholio cf. Dindorf. Fragm. p. 197). Hinc videndum, quo jure cum Valckenario (Praefat. Phoeniss.) Meinekius dixerit, Quaest. Scen. I, p. 29, in schol. Vesp. 884 Cratetis commentarium in Phoenissas Aristophanis intelligendum esse; nam de proprio aliquo commentario nihil hucusque

vidimus prolatum. Eidem tamen Meinekio libenter assentior, tum in schol. Ran. 320 ejusdem Cratetis nomen restituendum esse pro Pherecratis, tum in schol. Equit. 790 pro Cratini poetae nomine affirmanti, Quaest. Scen. II, p. 38 et I, p. 28. not. At de scholio Equit. 958 hucusque dissentimus a viro doctissimo; cf. supra §. 19 not. 4. —

Tum Apollonium quem potissimum inter cognomines multos, a Meursio bibl. Attic. s. v. (Gronov. Thes. T. X. p. 1234 seqq.), Vossio de histor. graec. I, 23, Jonsio de scriptorib. histor. philosoph. 3, 7, 5 recensitos, Aristophanis interpretem fuisse judicem dubius haereo. Semel in schol. Vesp. 1228 laudatur Ἀπολλώνιος ὁ Χαίριδος (num filius an discipulus paterve? nam unamquamque interpretationem eodem jure sequare; vid. Jons. l. l. 1, 2, 5), quem eundem etiam in schol. Venet. Iliad. γ, 448 et ab Apollonio Sophista sub φήνη et ὦπος (ubi Ἀπολλώνιος ὁ Χάριδος) citari facile concedo Villoisono, Prolegom. in Apollon. p. XX et Prolegom. Iliad. p. XXIX. Tum ex Apollonio Sophista de aetate viri conjecturam facere licebit, item fortasse e Chaeridis aetate, qui et ipse praeter Homerum et Pindarum (cf. Villois. Proleg. Apoll. l. l. ubi adde schol. Hom. Odyss. η, 80; de Pindaro vide Boeckhium quoque, Praefat. schol. Pind. p. XVI) Aristophanem interpretatus videtur; cf. schol. Ran. 1026, Vesp. 674; nam hujus commentarios Homericos Didymus usurpabat, cf. Lehrs. de Aristarch. p. 30. Eum igitur Apollonium potuit Symmachus usurpare; sed num diversus ab hoc is sit qui in scholiis Ranarum potissimum citatur dubito; hoc tantum scio, non esse continuo de Apollonio Rhodio cum Stoeckero p. 8 cogitandum, propter schol. Ran. 1433, ubi ni fallor Apollonius ἀθετήσεως cujusdam Aristarcheae causam refert, et schol. Ran. 1122 et 1267, ubi Aristarcheae sententiae favet. Ex reliquis locis ubi citatur Apollonius, nihil certi extrico: schol. Plut. 103; Ran. 421; 502; 790; 825; 848; 961; 1334; 1290; 1410; schol. Pac. 359; 1092; Equit. 22; Av. 1242. In quorum uno alterove si quis de Dyscolo cogitare velit non magnopere refragabor; semel etiam Rhodium significari concesserim, in schol. Av. 1242 [1]), fortasse etiam saepius idem citatur; neque enim fuit ab hisce studiis alienus; cf. Mützell. de emendat. Theogon. p. 287, et Weichert. über d. Leben u. Gedicht des Apollonius von Rhodus, p. 91 seqq. qui tamen Aristophanis scholia non attigit. — In universum autem hoc mihi videor affirmare posse, cujuscunque ista sunt Apollonii, a Symmacho ea fuisse tractata. —

De Demetrio similes oriuntur dubitationes; nam sub hoc quoque nomine plures fortasse latent in scholiis. Sed

1) Cf. Ranke de vit. Aristoph. p. CLIX, not. 100.

contra Aristarchum disputavit in schol. Ran. 308 Demetrius Ixion, Adramyttenus, qui in Homero quoque Aristarcho obloquebatur; cf. Wolf. Prolegom. p. 254 not. 39. Itaque in reliquis quoque locis, ubi Aristarchum a Demetrio quodam vituperatum videmus, Ran. 968 et 988 [1]), idem Ixion videtur intelligendus esse. Praeterea Demetrius Ixion *ἐν ταῖς Ἀττικαῖς λέξεσιν* citatur in schol. Av. 1569 [2]). — Diversus ab Ixione Demetrius Troezenius est, Didymi fere aequalis, ut colligo ex Athen. IV, p. 139 C, quem licet in scholiis diserte non laudatum possit tamen aliquis huc referendum putare propter Athenaei verba, I, p. 29 A: *ὅτι Ἀριστοφάνους τὰς δευτέρας Θεσμοφοριαζούσας Δημήτριος ὁ Τροιζήνιος Θεσμοφοριασάσας ἐπιγράφει;* hinc enim apparere videtur, Troezenium quoque operam suam et studium in Aristophane collocasse. Tum diversus item ab utroque Demetrius Zenodoteus est, qui in Pac. 123 (cf. schol.) pro *κολλίραν* — *μεταγράφει κόνδυλον.* — Horum autem trium virorum quemcunque in scholiis simpliciter Demetrium vocatum putas, unumquemque ob temporis rationem Symmachus potuit laudare.

Deinde de Apollodoro non multo certior res est. Ego tamen hic non tam cogito de Apollodoro Atheniensi tamquam interprete Aristophanis, — quamquam frequens ejus in scholiis mentio est, — quam de Apollodoro Tarsensi (schol. Ran. 320), qui in Euripidem quoque commentatus est, si recte conjecit Heynius, ad Apollodori fragm. p. 1174 (edit. 1783). Hunc aut Apollodorum Cyrenaeum, glossographum, qui Pamphilo fuit antiquior (cf. Athen. XI, p. 487, B) et item Euripidis fuit interpres, eodem judice Heynio, l. l., citatum arbitror in schol. Plut. 535; alterum enim hunc comicorum quoque attigisse vocabula docent Suidas sub *βδελύσσω* et Etymol. Mag. s. *βωμωλόχοι.* —

At certior et illustrior Asclepiadis memoria; est enim sine dubio Myrleanus grammaticus intelligendus (cf. schol. Theocrit. Id. 2, 88), quem in Homerum quoque, Pindarum, Aratum, Theocritum commentatum esse Werferus docet, Act. philolog. Monac. II, 4, p. 537 seqq.; — quibus Cratinum adjecit Meinekius, Quaest. Scen. III, p. 4. Ejus igitur commentarios citatos arbitror in schol. Ran. 1267; 1327, 1340; Av. 348; 567. Fortasse etiam editionem poetae adornavit, siquidem recte hoc colligo e schol. Ran. 1274. —

---

1) De hoc scholio quas duas interpretationes Meinekius proposuit, Quaest. Scen. II, p. 52 seq., earum ipse quoque secundam arbitror veriorem esse.

2) Schol. Av. l. l. *Δημήτριος δὲ καὶ πάντες τὸν Ἰξίονα λέγουσιν ἐν ταῖς Ἀττικαῖς λέξεσιν ὡς γλῶσσαν ἐξηγεῖσθαι, ὅτι κ. τ. λ.* Corrigendum: *Δημήτριος δὲ κ. π., τὸν Ι., λέγουσιν.* Aliter Bergk. Comment. p. 347: *Δημήτριος καὶ οἱ περὶ τὸν Ἰξίονα λέγουσιν ἐν τ. Ἀ. λ. ὡ. γ. ἐξηγεῖσθαι.*

Praeterea citatur in schol. Nub. 37 Asclepiades Alexandrinus, ignotus ceteroquin homo, cui jure opinor commentarios Aristophaneos non tribui; probabilem de hujus Asclepiadis aetate conjecturam idem Werferus protulit, l. l. pag. 554.

Seleucum supra jam attigi; ex ejus libris *προτατικοῖς* non dubito quin aliae quoque manarint *προτάσεις*, quarum in scholiis extat memoria, ut schol. Thesm. 80; Ran. 53; 347 [1]); Nub. 3; 1377; Plut. 88; 1132; Av. 277 etc. Quamquam et aliorum ejusdem generis ferebantur scripta — ut Hephaestionis *κωμικῶν ἀπορημάτων λύσεις*. cf. Suid. —, et post Symmachi quoque aetatem idem mos haud paucis placuisse videtur. Sed Seleuci duae tantummodo hodie supersunt *προτάσεις*, diserte ei ascriptae, in schol. Thesm. 840 et 1175, quarum primam solvere nuper conabatur sive Fritzschius sive Bergkius [2]) in Act. societ. graec. I, p. 135. — Ceterum qui de omni ista doctorum industria post Jonsium aliosque copiose nuper disputavit K. Lehrsius, de Arist. p. 200 seqq., Seleuco nostro locum in catalogo p. 227 seq. non concessit.

Timachidas Rhodius, de quo vide Meurs. Rhod. II, cap. 13 et Casaubon. ad Athen. VII; p. 283 B, duplici adeo opera Aristophanem attigisse videtur, primum in *γλωσσῶν* libro (de quo vid. Rankium, de Hesych. p. 113 seqq.), ad quem possis schol. Ran. 1209 referre; at reliquae ejus observationes, quae in scholiis Aristophaneis prostant, ad Ran. 55; 610; 848; 1267; 1280; 1290; ex commentario aliquo Aristophaneo depromptae videntur. —

Timotheus nescio quis semel occurrit in schol. Ran. 1449, citaturque ita, ut non possit non interpres Aristophaneus videri; fortasse idem est, contra quem Aristarchus disputavit in schol. Hom. Iliad. *ι*, 219. — Apion, nobilissimus sub Tiberio imperatore grammaticus, semel in testimonium vocatur in schol. Equit. 578 de voce *στλεγγίς*. De qua quo in libro exposuerit nescio; illud autem affirmare ausim, si commentarium Aristophaneum scripsit, hunc *σχολικὸν ὑπόμνημα* fuisse; certe e schol. Pac. 761: *ὅτι σύνηθες ἦν τοῖς παλαιοῖς ᾄδειν θεῶν τε καὶ ἡρώων γάμους· σημειοῦται δὲ ταῦτα ὁ Μόχθος* (i. e. Apion. cf. Lehrs. quaest.

1) Schol. Ran. 347: *λύεται δὲ τὸ ζήτημα παρὰ τῶν παλαιῶν οὕτως κ. τ. λ.* Accessit hoc e copiis Victorianis (Act. philolog. Mon. I, 3, p. 366), quarum etsi in universum exiguus et parum certus ad nostras quidem quaestiones usus est, quum antiquis recentissima quaeque admixta teneant, tamen singula nonnulla ita redolent antiquitatem quae jure possis adhibere. Et consuluit sane Victorius antiquos et bonos codices, qui interdum cum optimis Ravennate et Veneto conspirant; atque cum Veneto aliquo codice Aves se contulisse ipse monet Victorius l. l. p. 402.

2) Vide nunc Bergkii commentation. de reliq. comm. att. antiq. p. 3H sq.

epic. p. 23 seq.) πρὸς τοὺς ἀθετοῦντας τὴν ἐν Ὀδυσσείᾳ Ἄρεος καὶ Ἀφροδίτης μοιχείαν, — nolim cum Bergkio, Comm. p. 265 colligere, justum commentarium in Aristophanem ab Apione scriptum esse; immo probabilius videtur, locum Aristophaneum in commentario Homerico arcessitum esse, quod Lehrsius quoque videtur statuere, Quaest. epic. p. 27 seq. — Callias semel occurrit in schol. Vesp. 1489; fortassis idem est quem Mytilenaeum Athen. III, p. 85 E appellat et περὶ τῆς παρ' Ἀλκαίῳ λεπάδος scripsisse refert. — Item semel apparet Epimenides nescio quis in schol. Vesp. 1032, ubi Eratostheneae sententiae testis citatur, unde poteris fortasse aliquid de aetate viri suspicari velle, quam equidem certiore ratione assecutus mihi conjectura videor. Citatur enim ab Athenaeo, XI, p. 468 C. Epimenes aliquis, Jonis poetae interpres, cui editores substituerunt Epigenem; sed ad defendendam in Athenaeo codicum lectionem aliquam vim videtur scholiasta Aristophaneus habere, quem eundem plane hominem citare arbitror; nam quod qui ibi vocatur Ἐπιμένης, hic audit Ἐπιμενίδης, id neminem offendet, qui quam saepe nomina propria primitiva et patronymica promiscue usurpentur probe cognitum habet; quode post alios multos copiose disputavit Passovius in Opuscul. p. 303 seqq. adde Lobeck. ad Ajac. p. 150, ed. 2. Inde appareret Athenaeo virum antiquiorem esse, ut commode potuerit a Symmacho citari. — Neque tamen celabo, Epimenidis nomen ingeniosa conjectura sustulisse Valckenarium, ad Adoniaz. p. 361, ita scribendo: — κυνὸς ὡς, ὡς ἐπ' ἀναιδοῦς. οἱ δὲ πυρὸς ὡς. — Idem invenit Bernhardy. Eratosth. p. 218. not.

Hucusque enumeravimus qui justos omnibusque partibus absolutos commentarios vel in doctorum usum hominum vel ad erudiendos discipulos scripserunt, certe videntur scripsisse; restant alii, qui, quas reliqui interpretes toti interpretationi intexerant disputationes de personis ab Aristophane sugillatis rebusque risui expositis, seorsim peculiaribus libellis instituerant de industria. Horum unum supra jam nominavi, Apollonium Chaeridis, quem huc pertinere suspicor propter ἀναγέγραφε in schol. Vesp. 1238; istud enim verbum proprium in tali re locum habet: cf. Bentlej. Opuscul. p. 509, et Bast. Epist. critic. p. 35. — Alter Ammonius est, Aristarchi in schola Alexandrea successor (cf. Suid. et schol. Venet. ad Il. κ, 397), qui item continua interpretatione non videtur Aristophanem illustrasse, sed tantummodo περὶ κωμῳδουμένων scripsit, id quod imprimis e schol. Venet. ad Pac. 359 extr. apparet: (Κιλλικῶν) ἄδηλον πότερον κύριον ὄνομα ἢ ἐπώνυμον. Ἀμμώνιος δὲ ο ἀναγράφει, καί φησιν, ὅτι Λάκων καὶ Κιλλικῶν ἐκαλεῖτο, οἷς προδέδωκε Σάμον, — ubi scribendum arbitror: ὄνομα ἀναγράφει, καί φησιν, ὅτι καὶ Λάκων Κιλλικῶν ἐκα-

λεῖτο κ. τ. λ. Sed ejusdem generis reliqui quoque loci sunt, ubi Ammonius citatur, schol. Vesp. 947, ubi scribendum: ἔνιοι δέ, ὧν καὶ Ἀμμώνιος, τοῦ Στεφάνου. — schol. Av. 1297; schol. Vesp. 1238. — Ceterum tacite statuebam, Ammonium Aristarcheum innui nititurque ea opinio ambigui sane scholii in Av. 1297 interpretatione, ubi Ammonii sententiam e Didymi commentario citari puto non plene excerpto. Quodsi verum est, non potest de eo Ammonio cogitari, quicunque fuit, cujus περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων librum superstitem habemus; is enim quum Didymum citarit, hoc paulo recentior vixit. Quamquam non celabo, hunc Ammonium aperte in testimonium vocari in schol. Eccles. 610 (coll. Ammon. p. 93 Valcken.), aliaque praeterea in scholiis de vocabulorum differentiis tradi, quae similiter exposita sunt ab Ammonio; unde tamen non statim colligam, hunc a Symmacho usurpatum esse, licet ob rationem temporis potuerit usurpari, si vera sunt, quae de Ammonii aetate nimis cupide Valckenarius exposuit, Praefat. in Ammon. p. XXVII Schaef. — Tertius Herodicus est, qui semel hodie in scholiis citatur, ad Ran. 1026, ubi facile est ad suspicandum, eum intelligi, quem Crateteum appellat et in libro sexto κωμῳδουμένων de Sinope scorto exposuisse narrat Athenaeus, XII, p. 586 A. cf. de eo Jonsium quoque de script. hist. phil. II, 3, 6, p. 217 Dorn. Praeterea autem non dubito, quin huic non minus multa quam Apollonio, Ammonio et aliis fortasse pluribus debeat Symmachus quae hodie eorum non insignita sunt nominibus. Quin etiam uno loco recte mihi videor Herodici nomen conjectura restituisse, in schol. Vesp. 1238, ubi legitur: — „Ἁρμοδίου μέλος.“ Ἁρμόδιος δὲ ἐν τοῖς κωμῳδουμένοις κ. τ. λ., — quem ego Harmodium non magis cognitum habeo quam Meinekius, Quaest. Scen. III, p. 5. Potuit autem quod praecedit nomen facile eam vim habere, ut male mutaretur quod sequebatur similium admodum litterarum, hoc inquam: Ἡρόδικος ἐν τοῖς κωμῳδουμένοις [1]). —

Praeter hosce autem interpretes Aristophanis lexicographos Symmachus consuluit plures [2]). Primum Artemidorum; is enim non videtur commentarios in Aristophanem conscripsisse. Est autem ubique ni fallor Artemidorus Aristophaneus (cf. Athen. IV, p. 182 D; IX, p. 387 D.) vel Pseudaristophaneus (cf. Athen. I, p. 5 B.) intelligendus, qui diversis in libris de verborum significatione exposuit;

1) Hanc ego conjecturam eo certiorem arbitror, quod in eandem incidisse video Bergkium, Commentat. p. 227.

2) Schol. Vesp. 496: ἔν τισιν ἀναγραφαῖς τῶν λέξεων κ. τ. λ. — Cratetem, Demetrium, Apollodorum, Timachidam supra jam memoravimus. Aliorum nomina tantum, non observationes, a scholiis abesse videntur, ut Pamphili; cf. Ranke de Hesych. p. 81.

vid. Ranke, de Hesych. p. 103 — 109. In Aristophaneis scholiis semel adjectus libri index est, schol. Vesp. 1169: ἐν τῇ Ἀρτεμιδώρου συναγωγῇ; in reliquis locis, schol. Pac. 344 et Vesp. 1144, non indicatus quidem liber est, at de verborum significatione tamen expositum. Postremo in schol. Vesp. 1238 legitur: Ἀπολλώνιος ὁ Χαίριδος, ὡς Ἀρτεμίδωρός φησι, — qui sine dubio idem Artemidorus est, et in lexico nescio quo Apollonium citavit eadem ratione, qua in ὀψαρτυτικοῖς apud Athenaeum, IX p. 387 D, Epaenetum. — Ceterum quod Aristophanis grammatici discipulus vel erat vel haberi volebat, apparet cui sit tempori assignandus, ut nequeat dubitari quin Symmachus usurpare ejus scripta potuerit. — Praeterea huc pertinere videtur Irenaeus, Apollonii Dyscoli, Aelii Dionysii, aliorum aequalis (cf. Suid. cum not. Kusteri [1]), qui semel citatur in schol. Vesp. *900, ubi respici credo vel ad ἀττικὴν συνήθειαν (de qua vide Koen. Praefat. Gregor. Corinth. p. XVI Schaef.) vel ad ἀττικῶν ὀνομάτων βιβλία γ' vel ad librum περὶ ἀττικισμοῦ; neque enim Aristophanem ex professo interpretatus videtur; Apollonii tamen Rhodii justus fuit interpres: cf. schol. Apoll Rhod. 1, 1299; 2, 128 et 1015. — Item semel citatur Diodorus, in schol. Thesmoph. 389, videturque lexicographus intelligendus, cujus ἰταλικὰς γλώσσας e Pamphilo citat Athenaeus XI, p. 479; hinc antiquum satis librum fuisse perspicitur, ut facile acquiescam in Fabricii (bibl. graec. IV, p. 380) et Schweighäuseri (Ind. in Athen. s. v.) sententia, non diversum lexicographum statuentium a Diodoro Aristophaneo fuisse, de quo vide Wolf. Proleg. p. 216 not. — Eundem autem Diodorum, id quod ad nostrum locum propius pertinet, de atticis quoque λέξεσιν exposuisse idem Athenaeus docet, XI, p. 501 D; quamquam ibi quidem de alio quoque potest cogitari, Diodoro Valerio Alexandrino, Pollionis filio, quem Suidas testatur scripsisse περὶ ἀττικὴν λέξιν, quemque apud Photium quoque intelligendum esse, cod. 150 extr., facile concedo Fabricio, bibl. graec. Tom. VI, p. 169. Nostrum autem Diodorum ut antiquum illum esse putem haec me movent Hesychii: διαγόρας. Διόδωρος ὁ Ταρσεὺς ἀναγινώσκει περισπῶν Δι' ἀγορᾶς, διὰ τὸ τοὺς μύστας βακχάζειν τουτέστι ᾄδειν τὸν ἴακχον δι' ἀγορῶν βαδίζοντας, — quae non dubitandum, quin ad Ran. 320 spectent, ubi in scholiis legitur quidem: οἱ δὲ τὸ δι' ἀγορᾶς (ita enim corrigendum) περισπῶσιν, ὡς Ἀπολλόδωρος ὁ Ταρσεύς κ. τ. λ., quibus tamen non adducor, ut in altero loco corruptum nomen putem. Tarsensis igitur Diodorus, non Alexandrinus, Aristo

1) Aliter tamen et haud scio an rectius de aetate viri judicat Ritschl. de bibl. Alexandr. p. 140.

phanea attigit; quem non diversum esse ab eo cujus *ἰταλικὰς γλώσσας* Athenaeum citasse vidimus, propterea probabile est, quod ex eodem Pamphilo, qui *ἰταλικὰς* istas Diodori *γλώσσας* apud Athenaeum laudavit, Hesychii quoque notationem fluxisse credibile est. Porro Nicander *ἐν τῷ περὶ τῶν γλωσσῶν* semel laudatur in schol. Equit. 406, estque sine dubio Thyatirenus ille intelligendus, cui plurima debet Athenaeus; cf. Schweigh. in Indic. auctor. — Tum Epaphroditus *ἐν ταῖς λέξεσιν* bis de eadem voce citatur in schol. Equit. 1146 et Vesp. 333. Idem autem interpres quoque fuit, si non Aristophanis at aliorum poetarum, ut Callimachi (cf. schol. Aeschyl. Eumen. 2), Hesiodi (cf. Mützell. de emend. Theogon. p. 291 seq.), Homeri etc. cf. Kuster. ad Suid. sub voc. Vixit sub Nerone eisque qui proxime illi successerunt imperatoribus. — Tum Antigonus, in schol. Av. 299 citatus, videtur Antigonus Carystius esse, cujus *περὶ λέξεως* librum usurpavit Athenaeus; cf. hunc III, p. 88 A; VII, p. 297 E, et p. 303 B. — Restat Palamedes Eleaticus (cf. Boeckh. Praef. schol. Pind. p. XIX), de cujus aetate ex Athenaeo XI, p. 397 A conjecturam facere licet; is quater diserte citatur in schol. Pac. 882; Vesp. 710; 1108; 1122. Sed ad eundem Hemsterhusius, ad Plut. p. 98, etiam *κωμικὴν λέξιν* retulit, in schol. Plut. 313 citatam, a quo dissentit Meinekius, Quaest. Scen. III, p. 7, *λέξιν κωμικὴν σύμμικτον* intelligens, quam scholiasta ad Apollon. Rhod. 4, 973 excerpsit. Qua in re nescio quas uterque rationes sequutus sit; mihi certe multo videtur probabilius, tum in schol. Plut. l. l., et schol. Apollon. Rhod. IV, 1614 apud Invernizzium, Praefat. Aristophan. p. XXVII, et in schol. Aristoph. Pac. 922 (vel potius ad v. 924), ubi est: *οὕτω διὰ τοῦ λ ὁ τὴν κωμικὴν λέξιν γράψας ἀναγιγνώσκει*, — tum alibi saepe in scholiis Aristophaneis, ubi vel nominatur Didymus vel ejus reticetur nomen, Didymi lexicon comicum intelligi oportere, de quo vid. Meinekium, l. l. p. 5, et Bergkium, Comment. p. 66. Ejusdem Didymi citatur etiam liber *περὶ διεφθορυίας λέξεως* in schol. Av. 768, quem ubi Athenaeus laudat, IX, pag. 368 B, paululum variat indicem. — Sed lexicographis illis duos subjungam grammaticos, qui in Aristophane praecipuam quidem aliquam operam non videntur collocasse, sed quorum tamen libri ita comparati erant, ut saepe de dictione Aristophanea monendi invenirent occasionem, Phrynichum dico et Herodianum. Quorum ille, quem Commodo imperatori *σοφιστικὴν παρασκευὴν* dedicasse e Photio constat, cod. 158, p. 100 B, 6 Bekk. unde certissima viri aetas est, ter citatur, in schol. Pac. 407 (*ἐν σοφιστικῇ παρασκευῇ*), ibid. 601, et in schol. Nub. 746; nam in schol. Ran. 837 et Nub. 954 videtur potius comicus poeta cognominis intelligendus esse;

sed Herodianus multo citatur saepius; cf. schol. Ran. 221; 924; Pac. 62; 70; 153; 407; 891; Equit. 22; 433; 485; 1146; Pac. 1116 (ubi aperte omissum incuria Herodiani nomen), Equit. 1181; Vesp. 234; 610; Nub. 450; Av. 861; 876 (b); 1678; Lysistr. 995. Praeterea non dubitandum, quin saepissime Herodianea hodie legamus in scholiis, ubi nomen Herodiani scholiastae reticuerunt. Quamquam autem ita celebrata erant Herodiani scripta, ut non esset mirum si, ubicunque citantur, scholiastae de suo eorum mentionem fecissent, equidem tamen non video, cur Symmachum non tractasse Herodianea dicam; nam quod semel (cf. schol. ad Av. 1678 et 1679, coll. supra §. 22 extr.) Herodiani aliquam observationem quae ad Aristophanem imprimis pertinebat aperte ignoravit, inde contrarium equidem nolim colligere; et etiamsi constaret Herodiani libellum *περὶ μον. λέξ.* non esse interpolatum, tamen ob eum locum quo Symmachum citari ab Herodiano vidimus, ne sic quidem jure affirmares Herodiani observationes omnes aliunde atque e Symmachi copiis in scholia migrasse.

Postremo inter fontes quibus Symmachus utebatur historici nonnulli numerandi sunt, ex quibus temporum, quorum tamquam in speculo aliquo exceptam Aristophaneae comoediae quandam quasi faciem referunt, si non vividior, at certior imago peti poterat, quippe certioribus finibus circumscripta omnibusque numeris absoluta: Thucydidem dico, Theopompum, Philochorum, Androtionem, alios, quibus adjicendi sunt qui in diverso quidem laborarunt argumento, at quod non minus pertinebat ad illustrandas rationes historicas, Aristoteles propter *διδασκαλίας* et *πολιτείας*, et Dicaearchus propter libros *περὶ ἀγώνων*.

§. 28.

Fontes enumeravimus, unde quae optima est et antiquissima scholiorum pars profluxisse consentaneum est. Sed eorum omnium virorum si quaerimus aetatem, nemo invenitur quin ante tertii p. Chr. saeculi initium vixerit; unde hoc saltem constabit, eum qui ista omnia suppeditarit scholiastis, non multum post istud tempus vixisse. Atqui certissima vidimus indicia esse, quibus Symmachum, quem non vixisse post medium tertium saeculum monuimus, praecipuum scholiastarum fontem fuisse appareat; qui igitur possim callidius egisse videri, si Symmachum istorum omnium observationibus usum esse et antea hic illic affirmavi, et nunc affirmabo denuo? Atque haec vide quam utilis observatio sit; alterum enim ita nacti sumus terminum, ultra quem Symmachi aetas non erit rejicienda, medium fere secundum p. Chr. saeculum, ut jam ab omni parte illud

confirmatum sit quod supra ponebamus, Symmachum vel medio secundo p. Chr. saeculo vel tertii initio vixisse. —

Symmachum igitur omnium istorum fontium usum scholiastis aperuisse, posthac constabit; neque tamen eadem confidentia aliud affirmaverim, quod cum isto conjunctum est: Symmachum quos sequebatur fontes ipsum adiisse omnes, neque unius alteriusve fontis, quem ipse suis oculis non usurpaverit, alii acceptas referre copias eorum qui ante ipsum in eodem negotio laborarint; immo sunt quaedam indicia satis certa unde colligi possit, quo non nimis magno labore librorumque copia Symmachus Aristophanem interpretatus sit. Ita, ut his primum utar, Lycophronis sententiae ter in scholiis citantur ex Eratosthenis auctoritate, ad Plut. 1194. Pac. 199, Vesp. 239, unde tum de schol. Pac. 686 et Vesp. 704, ubi Lycophron et Eratosthenes junctim memorantur, sed non addita nota, illius placita ex hujus libro deprompta esse, — tum de reliquis locis, in quibus Lycophronis extat memoria, certius et verius poterit judicari. Porro in schol. Vesp. 1238 Apollonii τοῦ Χαίριδος placita vidimus ex Artemidori libro excitari. Tum in schol. Av. 1569 haec leguntur: Δημήτριον δὲ καὶ πάντες, τὸν Ἰξίονα, λέγουσιν — ἐξηγεῖσθαι; ita enim corrigendum videri scholium supra monui. Quid quod Eratosthenem quoque, cui tamen deberi vidimus de Lycophrone narrationes, semel ex Epimenidis auctoritate citatum legimus in schol. Vesp. 1032, modone verum viderit Valckenarius [1]). — Hisce igitur locis cavere jubemur, ne nimis honorifice de Symmachi sedulitate et labore sentiamus neve in eum transferamus, quae aliorum paulo antiquiorum debentur industriae. Inter quos principem locum obtinuisse Didymum sentio magis et quodam quasi praesagio ut credam adducor, quam ut certissima argumenta in eam rem afferre possim; vereor enim ne dum ambiguo scholio 2 ad Av. 1297 in eum finem velim uti, abutar potius et levitatis coarguar. Sed ubi paene incredibilem Didymi librorum proventum considerabam, quibus diversissimas antiquarum litterarum partes illustraverat, ut vel maxime recentibus grammaticis uberrimus quidam atque perennis fons esset; tum ubi eam viri industriam mecum animo volutabam, quam Homero impendebat [2]), item quam Pindaro [3]): — identidem in eam

1) Cf. supra s. Epimenides. — Valckenario ut assentiare, non levem vim id ipsum habebit, quod aliunde apparere videtur, Symmachum Eratosthenis librum tractasse ipsum; neque tamen ego isto argumento in eam rem utar, quum in pluribus libris, inter quos potuerunt etiam σχολικὰ ὑπομνήματα esse, Eratosthenem de Aristophaneis monuisse non sit veri dissimile; quorum librorum Symmachus habere alios, alios frustra quaesivisse potuit.

2) Cf. Lehrs. de Aristarch. p. 28 — 31.

3) Siquidem recte ut arbitror conjecit Boeckhius, cujus haec sunt

suspicionem sensim me delapsum fateor, Didymi industriam non tam novarum et propriarum observationum mole immensam fuisse, — quamquam in hac quoque parte nihil detractum viri famae volo, — quam eo, quod quae plures ante ipsum clari doctrina viri de eodem argumento excogitaverant, alii sparsim et obiter, de industria alii, alii consentientes sibi in rerum summa, alii his refragati, haec omnia Didymus consueverit denuo ad examen vocare, digerere, in breviorem summam contrahere. — Atque in Aristophane quidem ut ita versatam Didymi diligentiam fuisse putem, illud quoque me movet, quod quum λέξεις κωμικὰς quoque scriberet, magnam ipse sibi interpretationis, per commentarii justi ambitum instituendae partem praeripuit; quem tamen commentarium vel sic amplissimum fuisse, magnus docet locorum in scholiis numerus, quibus Didymus citatur [1]), unde colligi licebit quo et ipsi pridem utebamur [2]), tantam extare in scholiis Didymi observationum vim, cujus numerum ceteri interpretes ne magno quidem intervallo attigerint. Et tametsi non omnes locos quibus Didymi praefixum nomen est, ex commentariis depromptos puto, sed multos ultro largior e lexico comico esse desumptos, tamen vel eorum locorum, quibus quod traditur e lexico isto vix potuit manare, is est numerus, ut Didymum praecipuum Symmacho perque eum scholiastis fuisse fontem nemo possit negare. — Sed ut redeam ad rem quam cummaxime tracto, istis cogitationibus et si quae sunt ejusdem generis, persuaderi mihi passus sum, antiquissimorum Aristophanis interpretum plurium placita Symmacho e Didymi demum libro ut plurimum innotuisse, Aristophanis dico, Aristarchi, Ammonii, aliorum, quos recensere omnes liceret, si vel Symmachus ubique cum fide agere vel scholiastae cuique quod suum esset relinquere voluissent; nunc

---

verba, Praef. schol. Pind. p. XVII: „Didymus ipse, ni fallor, priorum interpretum sententias plerasque scriptis suis complexus erat."

1) Citatur in Bekkeri quidem editione bis et sexagies, i. e. multo saepius, quam alius quispiam inter reliquos interpretes. Subjiciam singulos locos, quos si quis comparaverit, omnibus et editoris et interpretis Aristophanei partibus Didymum satisfecisse videbit; cf. igitur schol. Plut. 550; 1011; 1129; Ran. 13; 41; 55; 104; 186; 222; 230; 703; 774; 963; 968; 988; 1026; 1301; Pac. 742; 797; 898; 1220; Acharn. 1040; 1066 (coll. Equit. 949); Vesp. 772; 1038; 1063; 1178; 1309; 1388; Av. 13; 43; 58; 149; 217; 299; 304; 439; 530; 704; 737; 816; (768); 824; 835; 836; 876; 1001; 1112 et 1113; 1121; 1273; 1283; 1294. 1295; 1297; 1363; 1379; 1521; 1676; 1679; 1703; Thesm. 31; 162; Lysistrat. 313. —

2) Hoc enim illud fuit, quod supra §. 2 extr. dicebamus, commentarios in Cratinum et Menandrum, in schol. Aristophaneis citatos, vix alios intelligi posse atque Didymeos; nam quum diserte Didymus ceteris omnibus interpretibus citetur saepius, in eis quoque locis quibus nomen nullum est adjectum possentque alii quoque intelligi grammatici praeter Didymum, ad hunc tamen prae ceteris jure feretur animus.

autem res tota manebit incerta nec quicquam hac mea suspicione effecisse videbor, nisi ne quod inconsideratius judicium feratur de talibus scholiis, quale schol. Av. 1297 supra indicavimus, cui nunc addo simile ad Thesmoph. v. 162 scriptum; *ἔγχυμον ἐποίησεν* (scrib. *ἐποίησαν*). *ἐν ἐνίοις δὲ Ἀχαιὸς γέγραπται — Ἀριστοφάνης δέ ἐστιν ὁ μεταγράψας Ἀλκαῖος. — τὸ δὲ λεγόμενον ὑπὸ Διδύμου πρὸς Ἀριστοφάνην κ. τ. λ.* ubi in Didymi commentario de Aristophanis grammatici ea sententia expositum invenisse Symmachum omnes uno ore fatebuntur; num autem inde tantum nec aliunde quoque eadem ipsi innotuerint, plurimi ne quaerere quidem velint. —

§. 29.

Sed quoniam semel ad eum locum disputatio nostra pervenit, qui est de fontibus Symmachi, invitat occasio ut simul aliud quid attingam, quod et ipsum commode possis fontem Symmachi appellare. Loquor autem de Aristophanearum fabularum editione critica ea, quam in interpretando ille sequutus sit; jam dudum enim in totius disputationis limine monuisse me memini, Symmachum non videri ipsum Aristophaneam aliquam editionem criticam procurasse, id quod hic pluribus probandum prius erit quam alterum excutiamus. Quam in rem magnam vim hoc habet, quod saepe in scholiis lectiones videmus explicari, quarum in nostris omnibus codicibus nullum superest vestigium; quae vetus jam est observatio, ab Hemsterhusio imprimis commendata [1]) ad justam Aristophanis crisin exercendam scholiaque recte digerenda; a multisque dein adhibita, nec tamen sine cauta admonitione praetermissa ab Ernestio [2]). Qui si Ravennatis codicis scholia usurpare potuissent, simul quam antiqua scholia ista observatio attingat facile perspexissent magisque etiam de emendandi Aristophanei contextus subsidiis gloriati essent; id ut lectoribus patescat meis, e libri Ravennatis scholiis ad Thesmophoriazusas unum alterumve exemplum expromam. Ac primum quidem in Thesmoph. 393 e codicibus nihil est enotatum nisi *οἰνοπότιδας*; at Symmachum cum plerisque antiquis exemplaribus legisse *οἰνοπίπας*, praeter Suidam sub *οἰνοπίπας* docent schol. Ravenn. l. l. — Item in Thesmoph. 567 codices qui innotuere omnes habent: *ἀλλ' ἐκποκιῶ σου τὰς ποκάδας*, quibuscum contende mihi scholium ad istum versum scriptum quod quin Symmacho debeat scholiasta vix quisquam dubitabit amplius: *ὅτι γυναικείων τριχῶν ὡς τὸ πολὺ καὶ*

1) Cf. Hemsterh. Praef. Plut. p. XII.
2) Cf. Ernest. Praef. Nub. = Tom. XII. p. 297. Dindorf.

ὅτι παρετυμολογεῖ τὸν πόκον οὐ κακῶς. Λυκόφρων δὲ ἁπλῶς τὰς τρίχας. ἐμπλοκὴ δέ τις φαίνεται, καὶ ὡς (hoc addendum) *πλοκαμῖδες σπανίως ποτὲ ἐπὶ ἀνδρὸς λέγεται* [1]), — quae omnia non videntur nisi ab eis scribi potuisse, qui talem inveniebant Aristophanis versum: *ἀλλ' ἐκποκιῶ σου τὰς πλοκάδας* [2]). Quibus exemplis unum subjiciam e scholiis Aldinis ad Av. 168: *Σύμμαχος, — ὅτι Τελέας ὄρνεον, ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς ὄρνεόν τι καταλέγει· „τελέᾳ καὶ τετράδι καὶ ταῶνι καὶ βασιλίσκῳ,"* ubi aperte Symmachus respicit ad Av. vers. 883, qui in editionibus nostris ita hodie legitur, codicibus paene omnibus consentientibus, certe in levioribus tantum dissentientibus, *καὶ τέτρακι καὶ ταῶνι καὶ ἐλέᾳ καὶ βάσκᾳ.* Unde etiamsi facile concesserim in schol. ad v. 168 pro *τετράδι* esse *τέτρακι* corrigendum, item pro *βασιλίσκῳ* videri *βάσκᾳ καὶ ἐλασᾷ* scribendum [3]), vel sic tamen magnam patet restare Symmacheae et receptae hodie ex codicibus omnibus lectionis diversitatem, quam tollere corrigendo nemo ausit [4]). — Sed sufficiunt haec ad id quo tendo demonstrandum, extare codices satis antiquos cumque excerptis e Symmachi libro interpretationibus instructos, qui aliam in contextu, in scholiis aliam sequantur le-

---

1) Cum his praeter alia cf. *συναγωγὴν λέξεων χρησίμων* in Bachman. Anecd. II, p. 343, 11: *ὅτι βόστρυχοι μὲν ἐπὶ ἀνδρῶν, πλόκαμοι δὲ ἐπὶ γυναικῶν εὐσήμως ἂν ῥηθεῖεν.*

2) Non repugnat conjecturae nostrae illud in scholio: *παρετυμολογεῖ τὸν πόκον*, quod hanc potius vim habet: *ἐτυμολογεῖ τὰς πλοκάδας, ὡς εἰ ἐτυμολογοῖ τὸν πόκον.* Cf. Schaefer. ad schol. Paris. Apollon. Rhod. p. 228. — Quamquam istud *παρετυμολογεῖν* alia significatione veteres grammaticos posuisse saepius scio; vide modo Lobeckii Paralipom. II. p. 502.

3) Hoc propterea statuo, quod in schol. ad Av. 883 non *βασιλίσκῳ*, sed *βάσκᾳ* interpretantem video Symmachum; hunc enim istud scripsisse scholium ut putem, tum alia suadent, tum quod reliquos omnes locos, quibus Callimachi liber *περὶ ὀρνέων* citatur, certis indiciis Symmacho video ascribendos esse, quem et diserte in schol. ad Av. 303 monemur istum librum usurpasse.

4) Diversas singularum vocum sedes dico, et formam *τελέας.* Sed de hac quidem, rem saepius aggressus, nusquam mihi satisfeci. Potest quidem ita statui, Symmachum ubi ad v. 168 *τελέας* cum v. 883 comparavit, nihil sibi voluisse nisi hoc, *Τελέαν*, hominis nomen, propterea imprimis ab Aristophane electum quod simile extaret avis nomen, *ἐλέας·* id autem secus intellexisse scholiastas, et in versu a Symmacho citato *τελέαν* formam de suo intulisse. At si revera non *τελέας* formam, sed *ἐλέας* citare Symmachus voluit, cur haec eum putas e longinquo accersivisse, quum propius adstaret in versu 305, ubi ipse eam agnovit? — At in Symmachea illa lectione ne quis de metri jactura quaeratur, hoc etiam in vulgata lectione nullum est, errantque qui apud comicos omnia astringere metris student; vide Herm. Elem. doctr. metric. p. 745. Imprimis autem dignus est qui in eam rem conferatur Aristoph. Av. 1660, ubi extat Solonis lex de *ἀγχιστείᾳ.* Cui exemplo alia ex Aristophane possent addi; ego tamen ut ceterorum quoque comicorum eundem fuisse morem doceam, Archippi potius mentionem faciam, apud Athen. VII. p. 329 B seq., item Eupolidis (siquidem recte intelligo schol. Aristoph. Equit. 938 extr.).

ctionem. Quod quum in quibusdam locis omnes quos novimus codices attingat, non potest non ita judicari, antiqui exemplaris quod sequebatur Symmachus lectiones easque interdum tales, quarum praestantia statim in oculos incurrit, quotcunque nostros descripsere codices librarii aut noluisse ad unum omnes quasi conjuratos, aut non potuisse recipere; quorum utrum probabilius sit non fugiet quemquam. Unde profecto eo cogimur, ut ne descriptum quidem una cum commentario fabularum contextum a Symmacho fuisse putemus; praesertim quum isti alterum accedat argumentum quod item magnam vim habet. Vidimus enim supra ordinem illum explicatarum fabularum, quem accurate scholiastae tenuerunt, a Symmacho esse profectum. Eum autem ordinem si etiam in describendo fabularum contextu tenuisset Symmachus, mirumne esset scholiastas, qui tantopere ab auctoritate Symmachi pendebant in interpretando, quum contextum describerent deserere eum voluisse? Et quamquam poterat sane evenire, ut unus alterve scholiastarum vel antiquius Symmacho exemplar nancisceretur in quo alio ordine descriptae atque in Symmachi commentario explicatae fabulae essent: — qui tamen factum probes, ut omnes quot quidem accuratius novimus codices, si simul vetera scholia, i. e. excerpta ex Symmacho habent, alium fabularum descriptarum, alium explicatarum ordinem sequantur? Ergo ab hac quoque parte cogimur, ut ne descriptum quidem una cum commentario Aristophanem dedisse Symmachum putemus; nam, — ne quis inde praesidium petere velit, — alium in contextu, alium in commentario ordinem Symmachum tenuisse, aut diverso tempore diversisque in libris utrumque eum dedisse, parum credibile est. — Quodsi igitur ne descriptas quidem una cum commentario fabulas dedit, justam omnibusque numeris absolutam Aristophanis recensionem Symmachum elaborasse multo etiam minus probabile est. — Quam autem ita statuo Symmachum instituisse interpretandi rationem, eam nolim quisquam ab antiquis illis grammaticis alienam putet esse; meminerit modo *ἐπιμερισμῶν*, de quorum vi quum plures iique doctissimi viri dudum frustra quaesivissent, verum primus perspexit ni fallor Hermannus Sauppius, in Zimmermanni diurn. 1835 no. 83, p. 665 seqq., singulos affirmans versus vel versuum particulas intelligendos esse, per se positos et e continua narratione ereptos, quos grammatici observationibus suis, cujuscumque fuerint generis, illustraverint. Ita Didymus *ἐν ἐπιμερισμῷ τοῦ μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηνελόπην φησὶ λελέχθαι παρὰ τὸ πένεσθαι τὸ λῶπος*, secundum schol. Hom. Odyss. δ, 797, i. e. Didymus in commentario descripserat istam Homerici versus particulam (*ἐπιμερισμὸν*) in eaque illustranda occupatus illud quo-

que docuerat; item Herodianus secundum schol. Aristoph. Av. 876 ἐν τῷ βάσκ' ἴθι Ἶρι ταχεῖα τὸν Ἕκτορι μῦθον ἐνισπε (Il. λ, 186) ἐπιμερισμῷ de στροῦθος vocis prosodia exposuerat. Horum autem duorum grammaticorum qui totum Homerum illustrarunt, alterum saltem certissimum est non totum descripsisse suoque commentario addidisse contextum Homericum. Eadem igitur ratione Symmachus quoque putandus est eos tantummodo locos in commentario suo apposuisse, quos cummaxime interpretaturus erat, non continuum et totum fabularum omnium contextum.

Sed missis eis quae ratiocinando efficiuntur, diserta quaeramus testimonia, quae vel firment sententiam nostram vel refellant, διόρθωσιν Aristophaneam Symmachum non adornasse. Atque primum quidem quid de schol. Plut. 1011: Σύμμαχός φησι, Νίταρος πολὺς ἐπὶ μαλακίᾳ ὀνειδιζόμενος ἐν τοῖς ἑξῆς δράμασιν — statuendum sit, supra vidimus; non ad totum fabularum quarundam contextum commentario additum, sed ad unum pluresve commentarii locos respexit Symmachus, quibus cum interpretatione ipsa quoque Aristophanis quae interpretaturus erat verba producere volebat. Tum non magis firmum in contrariam partem argumentum suggerit schol. Av. 58: ΕΠΟΠΟΙ] Σύμμαχος καὶ Δίδυμος προπαροξύνουσιν. οἱ δὲ περισπῶσιν; quidni enim hoc dixerit scholiasta: „ἔποποι Symmachus et Didymus προπαροξυτόνως scribendum putant," quo ad commentarium magis, quam ad editionem trahimur. Postremo subscriptiones illas, quibus abusus Hermannus est, rectius opinor et aptius dudum interpretati sumus; cui disputationi illud nunc subjicio, etsi paululum infirmius, si, quae Hermanni fuit suspicio, Aristophanem haberemus in nonnullis codicibus ex Symmachi recensione, mirum esse, aliquot locis ubi quam Symmachus interpretabatur lectio innotuit diversam tamen inveniri in omnibus quos habemus codicibus; quo pertinent duo ista exempla, quae e schol. Thesmoph. paulo ante produximus, quae tametsi ex Ravennate libro petita sunt non e Veneto, in quo solo libro illa inventa subscriptio est quae in eam interpretationem Hermannum duxit, tamen hic utar ipsius Hermanni observatione [1]), Ravennatis et Veneti codicis eundem fuisse fontem videri; ut si in illo libro a Symmachi lectione receditur, hoc non minus mirum videri oporteat ei cui Hermannus de sua interpretatione persuasit, quam si idem factum est in Veneto. Et est etiam in Veneto identidem factum; nam in Av. 1297 Symmachus legebat ἧκεν, uti edidit Bekkerus, at in Veneto est ἦκεν; porro in Avib. 58 Symmachus verius ducebat ἔποποι esse, at in Veneto, si quid ex Bekkeri silentio colligendum, eadem est

1) Cf. Hermann. Praefat Aristoph. Nub. p. XI. ed. 2.

quae in nostris editionibus comparet lectio *ἐποποῖ;* tum in Ran. 744 Symmachus ut Aristophaneam lectionem interpretatur *μάλλ'*, i. e. *μὴ ἀλλά*, at in Veneto est *μαλ'*; postremo duos locos adjicio ex eis, in quibus quam Symmachus sequutus in interpretando sit lectionem non diserte quidem ipsiusque addito nomine in scholiis memoratur, at sponte delabimur ad eam opinionem, ut Symmachi observationem servatam putemus; in schol. enim ad Ran. 320 tum alia traduntur satis docta, tum illud, Apollodorum Tarsensem legisse non *Διαγόρας* (quam explicatam in scholio habemus lectionem), sed *δι' ἀγορᾶς;* hanc autem ipsam lectionem in contextu habet codex Venetus, addita tamen nota: *γρ διαγόρας.* Similiter in schol. Pac. 797 Symmachus — nam hunc ista scripsisse quovis pignore contendam — Didymo obloquitur, qui *[ἐνδιαερι]ανερινηχέτους* scripserit, ipseque aliam probat lectionem, quae non dubito quin ea fuerit, quam Reisigius [1]) excogitavit *ἐνδιαεριαιθερινηχέτους·* at non Symmachi, sed Didymi lectio in codice Veneto est. — His exemplis alia possem addere, nisi vel sic satis constaret, non eam esse editionis quam Symmachus in interpretando sequebatur, et codicis Veneti similitudinem, qualem exspectari oporteret, si codex ille ex Symmachi recensione esset adornatus. Unde ipsa illa de Symmachi recensione opinio non mediocriter vacillat, quamquam penitus eam illo argumento evertere non possis, quandoquidem praeter Symmacheae aliorum quoque, ut Phaini, recensionis vestigia in eo codice superesse Hermannus objiciet. Sed ubi memineris, vacillanti per se opinioni fundamentum quo nitebatur, simul surreptum esse aptiore interpretatione, corruet sine dubio, ut ab hac quoque parte tuti jam possimus affirmare nondum quicquam intentum esse, quod cogat nos ut propriam aliquam justamque fabularum Aristophanearum editionem Symmachum elaborasse putemus.

§. 30.

Quodsi igitur in tanta rei obscuritate probabilitatem sequimur, ultra quam progredi hic non licet, Symmachus Aristophaneam *διόρθωσιν* non adornavit. Ergo interpretationem suam ad alius cujuspiam contextum applicavit, id quod veteres illi interpretes haud ita raro faciebant. Ita, ut cum obscuro exemplo magnum et illustre componam,

---

1) Cf. Reisigii Conjectan. p. 313; Reisigio assentitur Dindorfius. — Quod autem ad Symmachum attinet, ista mihi considera: *Δίδυμος δὲ πεπλάνηται λέγων αἰερινηχέτους. οὐ γὰρ λέγουσιν αἰθέρα οὗτοι. συνεχῶς δὲ αὐτοὺς κωμῳδοῦσιν ὡς ἀέρας καὶ νεφέλας — ποιοῦντας* (quae repetita sunt in schol. ad v. 795), quibus *ἀνερινηχέτους*, quod in codicibus est, convenit minime, at Reisigii conjectura convenit egregie.

criticorum veterum summus Aristarchus, priusquam Homerum ipse recensuerat, ad Aristophaneam poetae editionem commentarium suum accommodavit [1]). Cui autem Symmachus obsequutus sit difficile est dictu, ut nunc paene nollem totam hanc me movisse quaestionem, cui solvendae nunc demum me sentio imparem. — Sed dicendum tamen, qua via ad certum finem videare pervenire posse. Etenim non alienum fuit a Symmachi opera, diversas aliorum lectiones subinde memorare, non quo accurate omnes ad examen criticum vocaret, et unam probaret rejectis reliquis, — quod critici est officium, — sed, si quando diversae lectiones non mediocriter cujusque loci sensum variarent, ut ii non desiderarent interpretationem, qui in exemplaribus suis lectionem invenissent a vulgata pluribusque communi haud paulo diversam [2]). Certe tale consilium nec abhorret ab ejusmodi interpretis indole, et haud ita obscure apparet observatum, etiamsi in schol. Av. 1121 recesseris, in schol. 2 Av. 1297 et schol. Ran. 744. Quae tria scholia sola sunt in tota nostra collectione, quibus in diversitate lectionis enotanda occupatis, Symmachi nomen appositum est; sed non dubito equidem, quin reliqua quoque scholia quibus de diversis lectionibus monetur, ad eundem auctorem referenda sint pleraque omnia, talia imprimis, in quibus aliquid diversitatis e *παλαιοῖς ἀντιγράφοις* enotatur [3]), ut in schol. Plut. 4; 311; 802; Nub. 33; 276 (*ἀρχαῖα βιβλία* — schol. LB.); 976; Thesmoph. 162; tum ubi *τὰ ἀκριβέστερα* vel *τὰ ἀκριβέστατα* memorantur, ut in schol. Acharn. 585; Nub. 753; sine qua ornatiore significatione alibi simpliciter citantur *τὰ ἀντίγραφα*, ut schol. Plut. 545; Pac. 180; 219; 761 [4]); Equit. 4; Vesp. 676. Hinc colligendum non vilem

---

1) Cf. schol. Hom. Iliad. 2, 133 coll. Lehrs. de Aristarch. p. 30.

2) Itaque criticum nemo Symmachum appellaverit, idque supra jam significavi, §. 1, ubi quum nusquam Symmachum de sua aliqua conjectura monuisse dicerem, non fugiebant quidem me loci nonnulli, quibus etsi non appositum Symmachi nomen est, hunc tamen vindicaverim auctorem. Sunt autem hi: schol. 2 Av. 589; ibid. 1181; Vesp. 1138; Ach. 709; Nub. 1282; quorum priores tres nihil docent nisi Symmachum voces aliquot non mutandas cum aliis, sed alia ratione, i. e. aliis litteris, scribendas putasse; unde quis velit criticum appellare Symmachum? Tum in Nub. 1281 seq. scholia docent hanc quoque olim lectionem extitisse: — *ἄξεις ἐπὶ ἀλῶ Κεντῶν ὑπὸ τὸν πρωκτὸν οὐ τὸν σειραφόρον;* itaque quum ad v. 1282 dicat Symmachus (siquidem sunt Symmachi verba) — *μήποτε οὐκ ἔστι σὲ ἀλλὰ σύ*, non suam, sed alius protulit conjecturam. Idemque statuerim de schol. Acharn. 709: — *ἄμεινον οὖν ἀντὶ τοῦ γράφειν, τιδί, τὰ δή*, etsi ejus lectionis nullum hodie neque in scholiis neque in contextu codicis ullius vestigium.

3) Ea et reliqua *ἀντίγραφα* Symmachum ipsum inspexisse omnia non dico; plurima sine dubio debebat Didymo et ceteris interpretibus; cf. modo schol. Ran. 1290, Pac. 313 etc.

4) *ἐν δὲ τῷ ἀντιγράφῳ εὗρον* etc.: ubi ni fallor scribendum: *ἐν δέ τῳ ἀντιγράφῳ εὗρον.*

semper et recentem fontem respici, ubi simpliciter aliqua memoratur lectionis diversitas, quos ego locos, si quid inde quod bonae frugi sit extricari possit ab aliis, deinceps enumerabo omnes, tamen praemissa admonitione, cavendum esse, ne sicubi simpliciter dicitur γράφεταί τι, continuo ad diversitatem scripturae ubique delabatur animus neve pro lectione venditet, quod nonnunquam non est nisi interpretamentum [1] —: schol. Plut. 195; 290; 456; 505; 581; 660; 681 (?); 717 (bis); 765; 916; Ran. 14; 57; 113; 133; 153; 169; 175; 191; 193; 343; 362; 495; 624; 740; 774; 829; 930; 941; 1283; 1290; 1404; 1455; Pac. 126; 253; 259; 313; 528; 579; 616; 819; 905; 924 (ubi pro δαδὶ scribendum δαλίον, non δαδίον; cf. schol. quod praecedit); 1110; 1113; Acharn. 93; 200; 327; 433; 657; 660; 709; 803; 863; 1047; 1074; Equit. 35; 41; 187; 210; 240; 386; 406; 525; 671; 678; 884 (?); 918; 1147 (?); Vesp. 73 (ubi τοπάζεται corrige cum Florenti Christiano); 108 (?); 336; 493; 772; 804; 1169 (cf. Ranke de Hesych. p. 105); 1295; 1478; Nub. 3; 75; 334; 801; 1004; 1255; 1281; 1338; 1491; Av. 15 (ubi scribe: διαιροῦσί τινες καὶ προστιθέασι τῷ ἑξῆς τὸ „ἐκ τῶν ὀρνέων“· ἐκ τῶν ὀρνέων Ἀπέδοτο); 19 (ubi corrigendum: διὰ τοῦ ι τινὲς ΗΙΣΤΗΝ κ. τ. λ.); 23; 66; 417; 456; 527 (?); 566; 685; 687; 1074; 1178; 1342; 1377; 1468; 1563; Thesmoph. 141; 162; 346 (cf. Proleg.); 1040; Eccles. 22. — Et haec quidem ad ipsorum verborum discrepantias pertinent; multo autem rarius enotatum, si qui verba diversa ratione vel disjunxerint, ut in schol. Plut 30; Ran. 28; 51; 919 (?); 927; Pac. 699; 780; Acharn. 863; Nub. 208; Av. 15; 23; — item rarius memoratum, si in versibus suae quoque personae tribuendis variarint exemplaria: Plut. 802; Ran. 51; 56; 67; 181; 416; 573; 606; 624; 635; 644; 919 (?); 1363; 1410; 1427 (cf. Fritzsche, in act. societ. graec. Lips. I, p. 151); 1462; Pac. 236; 317; Acharn. 200; 1169; Equit. 243; 1192; Vesp. 914; Nub. 208; 1280; 1414; Av. 267; 434; 809. — Tum non dubito, quin item rarius multo quam hodie in scholiis factum videmus, Symmachus de παρεπιγραφῇ et χιασμῷ monuerit; quorum ut hoc loco mentionem injiciam propterea factum est, quod utrumque apud veteres cum contextu ita erat conjunctum, ut tametsi interpretationi quoque erat destinatum, critici tamen magis et editoris quam interpretis esse videretur. Verum, ut dixi, ipsi scholiastae haud raro de suo videntur παρεπιγραφῆς mentionem fecisse, ubi, quemcunque eloquebantur sermonem histriones, gestum aliquem et externam actionem ei addebant; qualem

---

1) Cf. Bernhardium ad Dionys. Perieg. p. 542, coll. Lobeck. ad Ajac. p. 298. edit. 2. Exemplo sit schol. Nub. 216.

sermonem si ipsum *παρεπιγραφὴν* appellant scholia, ut ad Pac. 2; 30; Equit. 57; 430, et alibi saepissime [1]), hoc recentioris scholiastae vestigium est; nam veteres interpretes honorificentius judicabant de lectorum facultate intelligendi, nec monuerunt de *παρεπιγραφῇ*, nisi ubi in ipso contextu quid faciendum esset histrionibus, verbis extrinsecus contextui additis, ab editoribus monitum erat; cf. schol. Ach. 112 et Av. 222, ubi *παρεπιγραφαὶ* (*ἀνανεύει*, *ἐπινεύει*, et *αὐλεῖ*) a Bekkero quoque in contextu servatae sunt, non item in Thesmoph. 129, ubi Ravennas in contextu *παρεπιγραφὴν* servavit et in scholio de ea exposuit; cf. quoque schol. Ran. 269; 1283; Acharn. init.; alia exempla sciens praetereo, sed in universum vide schol. ad Thesmoph. 100: *μεταξὺ τῶν δυοῖν ἀξιοῦσί τινες γράφειν μινυρισμός, ὡς πολλὰ ταῦτα παρεγγράφεται*, ubi etsi non scripserim *παρεπιγράφεται*, id ipsum tamen intelligitur. — Simili autem ratione scholiastae τὸ χ, quo veteres critici aliquid insolens et inconcinnum, vel in rebus vel in verbis notare solebant, sine dubio saepe de suo addebant in scholiis, ubi nec in veteribus exemplaribus inventum neque a Symmacho fuisse in nonnullis istud simileve signum, erat monitum; vide modo schol. Nub. 807; 510; 554; alibi; at vetustiorum criticorum signa agnoscas in hisce: schol. Ran. 153; Thesmoph. 917; Equit. 1379; Av. 76, etc.

§. 31.

Atque haec quidem omnia si contemplaris fatebere, nec paucas, nec justo pretio carentes editiones in Symmachi commentariorum sylloge fuisse indicatas; illud autem perincommode factum, ut aut Symmachus ipse, aut qui ejus copiis utebantur scholiastae ubique fere neglexerint notare, cujus quaeque intelligenda editio sit unde describantur lectionum discrepantiae; quod nisi factum esset, jure possemus dicere, a quo vel nusquam, vel omnium rarissime Symmachus recederet critico, ejus eum in interpretando editionem sequutum esse. Nunc autem rarissime in afferenda lectionis varietate, qui ejus auctor fuerit critici nomen adjectum est; quos locos numero paucos si considero, illud simul pungit animum quod nesciam, omnesne qui novam aliquam lectionem procudisse dicuntur, vere editores appellari debeant, an aliqui obiter potius et oblata occasione conjecturas suas exprompserint, justam autem Aristophanis recensionem non instituerint; tum, num praeter eos gramma-

1) Recentior illa ratio imprimis perspicitur ex hisce: schol. Eq. 430: *τοῦτο παρεπιγραφή. ὁ γὰρ εἶπε καὶ ποιεῖ.* Ibid. 707: *παρεπιγραφή. ποιεῖ γὰρ ὅπερ εἴρηκεν* etc.

ticos quorum in emendando Aristophane posita opera fausto quodam casu innotuit, plures etiam in eadem se palaestra exercuerint, quorum nunc inter interpretes tantum Aristophaneos clarum nomen est aut adeo in hac quoque parte prorsus interiit. Sed quos etiamnunc cognovimus criticos Aristophaneos deinceps enumerabo: Asclepiadem in schol. Ran. 1274; Didymum in schol. Pac. 797; Callistratum in schol. Vesp. 772; Ran. 270; ibid. 567; Thesmoph. 917; Demetrium Zenodoteum in schol. Pac. 123; Apollodorum Tarsensem in schol. Ran. 320 [1]); Cratetem [2]) in schol. Ran. 320. Dionysium Zopyrum (?) in schol. 2 Av. 1297; Apollonium in schol. Ran. 825 (?); ibid. 1410 (?); Aristophanem in schol. Thesmoph. 162; Ran. 153; Av. 1342 (ubi scribendum videtur: *καὶ Ἀριστοφάνους πλήρωμα*); Eratosthenem in schol. Pac. 739, coll. Vesp. 1032; denique Aristarchum in schol. Ran. 191; 968; 1433 (coll. 1448). Quorum omnium cujus potissimum recensionem Aristophaneam Symmachus sequutus sit si quaeris, jubent quidem illae quas dixi causae, ne quid nimia confidentia affirmes pro certo; at urget et stimulat animus, ut quid sentiam libere eloquar, conjecturam quidem et hypothesin, at tamen satis illam probabilem; quae cui displicet si mox meliora docuerit, primus applaudam ipse. Itaque equidem ita mihi persuasi, nullam Aristophaneam editionem Symmachum ante oculos habuisse, quam proprio nomine possis unius illorum quos dixi criticorum nuncupare, sed contextum Aristophanis eum qualis Symmachi aetate vulgaris fuit, sive, ut graeco utar vocabulo, *παράδοσιν*. Etenim ut apud nostros homines non omnes, qui novas veterum scriptorum editiones procurant, ipsi de suo justam per omnes partes recensionem instituunt, sed ad alius cujuspiam editionem sese applicant, cujus imprimis illustris eo nomine fama est, nec discedunt ab hoc nisi in paucis quibusdam locis et plerumque in levioribus tantummodo rebus: ita apud veteres quoque illos plurimi, qui vel in suum vel in aliorum usum describendos scriptorum libros curarunt, non conquisivere denuo apparatum criticum ipsiusque scriptoris cogitandi loquendique consuetudinem criticorum bonorum more accurate edidicerunt ad novam ejus recensionem laudabili ratione adornandam, sed primarii cujusdam viri fama allecti hunc sibi ducem sumpserunt quem in minutis tantum rebus desererent; sed ejus viri quo illustrior erat fama et testatior eruditio, eo plura mox *ἀντίγραφα*

1) Apollodoro Tarsensi apud Hesychium s. *διαγόρας* substitui Diodorum Tarsensem supra monui.

2) Ex Meinekii emendatione Quaest. Scen. II, p. 38. Vulgo legitur *Φερεκράτης*.

circumferri oportebat, istius recensioni praeter paucas quasdam et minutas res admodum similia. Ita, ut exemplo res evadat magis perspicua, in Homero prioribus saeculis Aristarchea recensio invaluit, estque hoc illud, quod saepius in scholl. Venet. ad Iliad. legitur [1]): *Ἀριστάρχῳ ἐπείσθη ἡ παράδοσις*, et imprimis hoc, quod in schol. ad *ι*, 605 extat: *τινὲς τὸ τιμῆς διὰ τοῦ ι γράφουσιν. — οὐκ ἐπείσθη δὲ ἡ παράδοσις. Ἀρίσταρχος γὰρ ἄνευ τοῦ ι.* Sed ejusdem viri recensionem non ubique servatam esse haec docent: schol. ad *φ*, 162: *διελέγχει ἡ παράδοσις τὸν Ἀρίσταρχον* (qui *ἁμαρτῇ* „*χωρὶς τοῦ ι γράφει*“ — schol. Didymi), *ἔχουσα τὸ ι.* — schol. ad *ω*, 316: *Ἀρίσταρχος — βαρύνει* (vocem *περκνός*). *ἀλλ' οὖν γε ἐπείσθη ἡ παράδοσις τοῖς ὀξύνουσιν.* Alios locos sciens praetereo. — Tali igitur ratione ortum exemplar Symmacho arbitror ad manus fuisse quum Aristophanem interpretaretur; cujus quidem exemplaris nec auctorem scire quisquam magnopere cupiet, nec pretium fuisse exiguum putabit, si illud addidero in Aristophane quoque *παράδοσιν* videri plerumque *πεισθῆναι Ἀριστάρχῳ.* Hoc enim ut statuam tum illustris et paene incredibilis viri fama me movet, qua quam juste gavisus sit Lehrsius nuper erudite probavit, tum quod Heliodorus in enarrandis metris Aristophaneis item Aristarcheam poetae editionem sequutus esse videtur, quode infra disputabitur fusius. Accedit quod ita demum perspicimus qui factum sit, ut Aristarchearum lectionum tam raro hodie mentionem factam legamus, non saepius quam Aristophanearum, et rarius etiam quam Callistrati. — Sed si quis quaerit, cur non ipsum *παραδόσεως* fontem (i. e. ipsam Aristarchi editionem) Symmachum tractasse putem, causam meam defendet schol. Ran. 968: *Ἀρίσταρχος δὲ ὡς γεγραμμένου Κῷος ἐξηγεῖται,* — unde duo nobis recte videmur colligere, primum Aristarchum non explicasse solum, sed etiam scripsisse *Κῷος* — qui enim explicasset illud nisi etiam scripsisset? —, tum Symmachum, quem ea scripsisse quilibet jam concedet opinor non Aristarcheam illam lectionem in suo invenisse contextu, sed quod hodie vulgatum est et Didymus quoque (in eodem scholio) tenuit: *Κῖος*; quo apparet satis non integram et sinceram Aristarchi editionem Symmachum usurpasse. —

§. 32.

Praeter eos autem scriptores, — redeat enim disputatio, unde paululum deflexa est —, quos fontes supra appel-

1) Cf. ad *α*, 129; *δ*, 138; *ε*, 989; *λ*, 239; *λ*, 480; *ν*, 103; *ο*, 302; *σ*, 191; *υ*, 357. Haec atque ea quae supra citavi ex Herodiani copiis fluxisse nemo post Lehrsii laudabilem operam negabit.

lavimus Symmachi, alii in scholiis citantur haud pauci numero, quorum vel in illustranda historia vel, quod multo rarius factum, in explicanda sermonis proprietate usurpatam auctoritatem videmus. Quorum si aetatem qua vixerint quaerimus, in universum egregie firmantur illa quae de Symmachi aetate supra exposuimus: perpauci enim scriptores ad partes vocantur, quibus aetatem Athenaeo inferiorem assignet certa temporum ratio; quod ut accuratius demonstrem, in plerisque ne opus quidem est, nec nisi paucos attingam de quibus non satis certo mihi constat, aut quorum nomen corruptelam quandam subiisse videtur. Ita Aristocratem, qui in schol. Nub. 958 de Phrynide citharoedo, discipulo Aristocliti, „*τὸ γένος ὄντος ἀπὸ Τερπάνδρου*" exposuit, saltem veri non dissimile est eundem esse cum eo, cujus *λακωνικὰ* usurpavit Athenaeus III, p. 82 E, nisi verior est Valckenarii conjectura [1]), *Ἀριστόξενος* corrigentis. — Aristocritus porro, in schol. Vesp. 846 citatus, fortasse non diversus ab eo est, cujus Plinius meminit, hist. nat. 5, 31 [2]). Tum pro Cleanthe in schol. Equit. 84 dudum *Νεάνθης* reposuit Vossius de histor. graec. p. 99, cui statim Kusterus debebat obtemperare. — Alexander in schol. Ran. 839 est fortasse Alexander Polyhistor [3]). — Andreas porro, in schol. 2 Av. 266 citatus, est fortasse medicus ille, cujus scripta Athenaeus quoque aliquoties citavit. — Deinde pro Eutychia in schol. Vesp. 875 dudum Maussacus et Palmerius [4]) restituerunt vel *Διευχίδας* vel *Διευτυχίδας* [5]), uterque *Μεγαρικῶν* scriptorem intelligens, cujus Athenaeus quoque meminit, VI p. 262 E [6]) — Porro in schol. Av. 394 — *ὡς Μενεκλῆς καὶ Καλλίστρατος ἐν τοῖς περὶ Ἀθηνῶν συγγράμμασί φασιν* — videntur intelligendi aequales fere aetate scriptores, siquidem recte, ut mihi quidem videtur, Vossius l. l. p. 387 secundum Harpocrationem sub voc. *ἑκατόμπεδον* correxit *Μενεκλῆς ἢ Καλλίστρατος*; tum, si idem ut conjicio hic est Menecles atque ille, quem *τὸν Βαρκαῖον συγγραφέα* appellat Athenaeus IV p. 184 B, — de utriusque scriptoris aetate quantum hic quidem sufficit constabit. — Tum pro „*Φύλλις ὁ μουσικὸς*" in schol. Vesp. 1238 et Ran. 1298 nullus dubito quin

1) Cf. Dindorf. annot. ad schol. Aristoph. (= Tom. XII) p. 366.
2) Cf. Voss. de histor. graec. p. 121.
3) Cf. Vossium l. l. p. 144 seqq.
4) Cf. Dindorf. l. l. p. 549.
5) Priorem nominis formam cum veterum plerisque tenuit Maussacus; altera Palmerio magis arridebat, servata illa a schol. Pind. Nem. 9, 30; cui nunc etiam accedit codicis Veneti auctoritas in schol. ad h. l., ita ni fallor scribendo in initio: *περὶ τοῦ α. Ἀπόλλωνος ἰδίου Δωριέων Διευτυχίδας κ. τ. λ.* — coll. Harpocrat. sub *ἀγυιεὺς* extr.: — *φασὶ δὲ αὐτὸν εἶναι Δωριέων, ὡς δῆλον ποιεῖ Διευχίδας.*
6) Adde Vossium, l. l. p. 354.

scribendum sit [1]) Φίλλις ὁ μουσικός, idemque intelligendus homo, qui Φίλλις ὁ Δήλιος, μουσικὸς audit apud Athen. I p. 121 F, ubi XIV p. 634 D, non aliter atque in scholiis Aristophaneis una cum Aristoxeno de eadem re in testimonium vocatur.

Sed his scriptoribus tres subjungam, in quorum invenienda aetate ne a conjectura quidem certum auxilium petere potui; Dionysium, cujus μονόβιβλον περὶ τοῦ χαίρειν ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς citatur in schol. Plut. 322; Philetam Ephesium, bis de eadem re laudatum, in schol. Pac. 1036 et Av. 962, unde sua hausit Suidas sub Βάκις et Φιλητᾶς; denique Praxionem, cujus Μεγαρικὰ citantur in schol. Eccles. 18; quorum si quis mihi aetatem demonstraverit lucro deputabo. Sed ceterorum omnium scriptorum, quorum in scholiis extat memoria, certam esse aetatem affirmare audeo, nisi forte aliquis vel fugit me invitum, vel ita mihi imposuit, ut furtim in certae aetatis hominum societatem se insinuantem non deprehenderim. Verum inter illos sunt quoque, quos post Symmachum floruisse certum est, quorum tamen aetate ego non adducor, ut serius quam supra erat expositum, Symmachum vixisse putem.

§. 33.

Jam enim eo nos disputationis nostrae ordo deduxit, quo omni ope comprobandum est, liberrime scholiastas in Symmachi usurpandis copiis esse versatos itaque in alieno grassatos domicilio, ut neque arripere sibi quod ipsius erat, neque inferre aliena, quae ab ipso magnopere abhorrebant, dubitaverint. Sed fuerunt tamen inter scholiastas alii aliis justiores; minusque eis succenseo, qui tum subscriptione aliqua, qualem in Veneto et Leidensi codice deprehendimus, cui sua pleraque omnia debeant indicarunt, tum in singulorum forma scholiorum Symmachei commentarii aliquam speciem retinuerunt. Tum illud quoque scholiastis non magnopere vertam vitio, quod Symmachi nomen tam raro apposuerunt; nam si in subscriptione monuerunt in universum, quem fontem sequuti fuerint: qui opus erat, in singulis quibusque scholiis eundem fontem denuo indicare? Itaque etsi commode accidisse dixerim, si hoc illudve scholium aliunde cognoverimus Symmachi esse, — quemadmodum schol. Av. 530 ex Etymol. Mag. sub βλιμάζειν vidimus ad Symmachum referendum esse, — tamen ob eam quam dixi causam non aegre fero, quod tam raro apposito Symmachi nomine huic se sua debere scholiastae professi sint,

---

1) Utrumque nomen apud Suidam et Athenaeum quoque commutatum; cf. Schweigh. ad XIV, p. 634 D = Tom. 7, p. 459.

praesertim ubi ipsius scholii forma, alius non sua se afferre indicarunt, ut si ἔφη, εἴρηκε vel simile quid posuerunt, quode supra §. 18 exposuimus, aut infinitivo utebantur pro oratione recta, quemadmodum factum in schol. Thesmoph. 389 supra item adhibito, tum in schol. Ran. 1370 (καὶ Πλάτωνα — κεχρῆσθαι), schol. Vesp. 151 (ἅμα εἰκακέναι αὐτὸν κ. τ. λ. [1]) et alibi fortasse saepius. — Quid quod perspecta semel re laudare adeo eos audeam, qui aliquoties Symmachi nomen omiserint? qui enim, quod saepius factum, Didymo opposuere Symmachum disputantem, ii ita obscurarunt doctrinae suae fontem, ut nisi alibi quaedam veri indicia servata essent, non potuisset quisquam unquam sibi persuadere, ut Didymea ipsum illum Symmachum suppeditasse crederet; et ut nonnulli fortasse, quibus non satis certa videantur ista indicia, etiamnum dubitent magnopere quae ex istis indiciis collegimus assensu suo probare; at contra ii loci, quibus Didymo aliquis, cujus non proditum nomen est, opponitur, ut ad Ran. 230; 774; 968; 988; 1301; ad Pac. 797; 898; ad Vesp. 1038; 1309; 1388; ad Av. 13; 43; 149; 217; 299; 304; 530; 816; 824; 876; 1112; 1113; 1273; 1295, — hi igitur loci eandem atque superiores illi non suppeditabunt dubitandi materiam, si dixero, in his quoque Didymo obloqui Symmachum, id quod vel e certis quibusdam indiciis cognosco, vel ex totius disputationis meae summa auguror; atqui ubi illa praerepta dubitandi materia est, nihil impedit quin totum scholium, una cum Didymi observationibus, ad Symmachum referendum esse confiteare. Est autem inter illa quorum modo memini indicia unum, quod non ad istorum solum nonnullos locorum, sed ad totam scholiorum compaginem pertinet eadem ratione, illud dico sobrii et paene dixerim ignavi animi indicium, quod in plerisque scholiis. quibus Symmachi nomen praefixum est, ita redire vidimus [2]), ut nequeat idem homo latere in aliis quam plurimis scholiis, quae carent ejus nomine. Vide enim quanta cum eis locis, quos §. 25 enumeravimus, hisce scholiis similitudo intercedat quae deinceps proponam, in quibus itidem μήποτε ad Vesp. 380; 440; * 493; * 647; * 675; * 772; 858; * 947; * 1122; * 1169; ad Pac. * 145 (bis); * 242;

---

1) Ubi ἅμα in initio positum indicio est, olim duo ad h. l. scholia extitisse, unum quod hodie primum est, alterum quod ex primo et secundo compositum erat; hoc quum serius primo invenisset qui scholia Vesparum comportavit: omisit in scribendo quae secundo scholio cum priore erant communia. Ceterum quod mox dixi, fortasse alibi saepius infinitivum ita positum esse, dubitanter loquutus alia non addidi exempla propterea, quod oriebatur mihi suspicio, potueritne, quemadmodum ὅτι τοῦτό ἐστι poni solet pro σημειωτέον, ὅτι κ. τ. λ., ita infinitivus quoque interdum poni a scholiastis pro σημειωτέον cum infinitivo: quamquam certa ejus generis exempla hucusque quaesivi frustra.

2) Cf. supra §. 25.

681; * 977; * 1131; Ran. * 133; * 1396; Av. * 17 (cf. supra §. 23); * 299; * 301; 302; 485; 833; * 872; 882; 1256; * 1620; Lysistr. 785; Nub. 548; Plut. * 550; — tum φαίνεται ad Vesp. 475; Av. 868; 873 b (ubi noli corrigere istud εὑρίσκομεν συλλογιζόμενος; cf. enim Lobeck. ad Ajac. p. 153); Equit. * 572; Thesm. * 21; Nub. 250; 1085; Plut. * 550; * 797; — tum ἴσως vel τάχα ad Vesp. * 578; * 674; Pac. 808; * 973; Ran. 749; Av. * 66; * 288; 399; * 876; * 933; Equit. 606; 768; 1087; Thesmoph. 291; Nub. 700; — tum δοκεῖ, ἔοικε ad Vesp. * 836; 1169; Pac. 681: Ran. 404; Equit. 1275; Thesm. 21; Ach. 209; 629; Plut. * 385; * 550; * 718 (εἴγε μὴ σφαλῶμεν, Pac. 252); tum οὐκ οἶδα, οὐκ ἔστι σαφές, ἄδηλον, ἀδιανόητον ad Vesp. 1279; 1284; Pac. 359 b; * 973; Av. * 17 (cf. §. 23); 766; 1395; * 1563; Th. 808; Eccles. 193; Nub. 1085; Ach. 390; — tum εἴη ἄν ad Vesp. 875; Av. * 281; * 798; * 1242; 1296; * 1410; Equit. * 578 b; Pac. 289; — postremo οὐκ ἀνάγκη, οὐκ ἀναγκαῖον ἔστι, στοχάζεται μόνον ad Pac. 143 (cf. Bergk. comm. p. 28 seq.) 289; * 779; Av. 693; — in quibus igitur scholiis istae locutiones eundem timidum et sobrium Symmachi animum produnt, a quo ne in summa quidem sententiarum suarum probabilitate nec ibi desciverit, ubi vel nostrorum homines temporum, multo illi minus ob librorum penuriam et minorem linguae scientiam ad verum inveniendum instructi certissimum adeo judicium jure sibi videantur ferre [1]). Et ut concedendum sane erit, istas locutiones ita esse comparatas, ut nequeant a ceteris Aristophanis interpretibus prorsus alienae videri [2]), tamen primum mihi eos omnes locos quibus appositum Symmachi nomen est cum eis contende, ubi alius cujuspiam interpretis Aristophanei observationem legi adjectum nomen diserte monet, et satis certum concedes judicium ex ejusmodi loquutionibus de origine scholiorum ferri in eum quem dixi modum posse; deinde ea scholia quae in superiore indiculo asterisco notavimus, tum alia nonnulla continent, quae in antecedenti disputatione Symmacho vindicavimus, tum ostendunt aliquem aliorum opiniones percensentem: ut ista quidem scholia duobus adeo argumentis Symmachum sibi vindicent auctorem, et hac sua aucteritate cetera quoque quae enumeravi scholia ad eundem trahant. — Quodsi de quo agitur concessum mihi erit, eodem illo indiculo usus hoc potero affirmare,

---

1) Unum hic addo, quod item ad sermonis proprietatem pertinet, quodque pluribus exornarem, si major suppeteret copia. Cum eo enim quod supra §. 25 e schol. Equit. 974 produximus Symmacheum σκέψασθε similia confer in schol. Ran. * 790; 1404; Pac. * 252; 523; 868; 1011; Av. 883; sed cf. quoque schol. Ran. 1267.

2) Ita μήποτε est in Didymi nota ad Ran. 988; ἴσως in ejusdem nota ad Av. 835; 853 etc.: Et Didymum quoque adamasse istud dubitanter loquendi genus alicubi monuit Lehrsius.

ipsam commentarii Symmachei formam omnium maxime esse a scholiastis Vesparum, Pacis, Avium servatam, minus autem a scholiastis Acharnensium, Equitum, Ranarum, Nubium, Pluti; nam de trium reliquarum scholiis fabularum ipsorum brevitas quicquam vetat nimis confidenter nos pronuntiare. —

Sed illos scholiastas tametsi his accuratius proprium quasi Symmachi corpus servasse dixi, in utrosque tamen eodem modo illud cadere vituperium crediderim, quod excerpta tantum ex tam utili et eximio libro dare voluerint; nam non totum hodie extare in scholiis Symmachi librum, sed scholiastas plerumque frustula tantum inde sumpsisse, non tam e Suida colligo s. v. *ὑπερακοντίζεις σύ γ' ἤδη Νικίαν*] *τὸν στρατηγοῦντα μηχαναῖς καὶ τοῖς στρατηγήμασιν. Σύμμαχος· πρὸς τὴν Μήλου πολιορκίαν. Φρύνιχος Μονοτρόπῳ κ. τ. λ.* — quae aperte ad Av. 363 pertinent, ubi nihil tamen hodie scholia neque de Symmacho neque de Melo aut Phrynichi versu referunt; — namque Suidas ut alibi ita hic quoque potuit plenioribus scholiis uti. At gravius et uti arbitror certissimum in eam rem argumentum ex subscriptionibus peto: *παραγέγραπται ἐκ Συμμάχου σχολίων·* tum e schol. Av. 988: — *Σύμμαχος καὶ μανιώδη φησὶ τὸν Διοπείθη τὸν ῥήτορα. — παράκειται δὲ καὶ τὰ Φρυνίχου ἔμπροσθεν ἐν Κρόνῳ κ. τ. λ.*, de quo placet Fritzschii [1]) apponere verba; „sic," inquit, „censeo, in his scholiis longe olim quam nostra sunt integrioribus infra alicubi Phrynichi versus appositos fuisse." Quae si ita intelligi voluit, in alio quodam superstitum Aristophanis fabularum loco extitisse olim scholium, in quo allatus iste Phrynichi versus fuerit: vereor ne minus recte dictum sit, ut qui locum Aristophaneum talem non inveniam, nisi Equit. 1081 et Vesp. 380, ad quos illustrandos si Phrynichi appositus versus fuerit, non potuit scholiasta eos locos appellare *τοὺς ἔμπροσθεν*, secundum ea quae de fabularum ordine supra exposuimus. Sin vero hoc sibi voluit vir doctissimus, ipsum illud ad Av. 988 scholium olim longe fuisse integrius, postea autem ab epitomatore aliquo in brevius contractum, potest quidem hoc verum esse; sed tamen ni fallor Fritzschius posthac non in s c h o l i o extitisse aliquando quae nunc omissa sint putabit, sed in Symmachi tantum libro, quem ita transcripserint scholiastae, ut plura quae antecederent Phrynichi memoriae omitterent. — Huic autem scholio affine est quod ad Plut. 720 legitur: *σχῖνον νῦν φησὶ τὴν σκίλλαν. — ἐν δὲ τοῖς ἑξῆς παράκειται ἐκ τῶν Θεοφράστου, ὅτι ἕτερόν τι ἡ σκίλλα καὶ σχῖνος κ. τ. λ.*, ad quae Hemsterh.: „*ἐν δὲ τοῖς ἑξῆς*," inquit, „indicium facit scholii vetusti et eo tempore scripti quo

1) Cf. Fritzsche Quaest. Aristoph. I, p. 251.

fabulae nostri comici vel omnes vel pleraeque cum grammaticorum integris adnotationibus adhuc extabant; nam in eis quae supersunt nulla fit nec *σχίνου*, nec Theophrastei loci mentio." Sed quidni hic quoque putemus Symmachi commentarium ad hunc ipsum locum intelligi, quem excerpserint tantum scholiastae, non apposuerint integrum? — Hinc dubito quoque, eis, quae in Etymol. Orionis p. 18, 22 de Cerere Achaia prostant desumpta ex „*ὑπομνήματι εἰς Ἀριστοφάνην*," num — si quidem recte Symmachi commentarium intelligo — jure hanc notam Larcherus apposuerit: „mutila sunt quae extant commentaria in Aristophanem." Quo enim jure mutilam appellaveris ejus orationem, qui, ut scholiasta fecit ad Acharn. 673 — eo enim Orionis nota pertinet, — ex pleniore opere ita nonnulla excerpsit, ut plena tamen suisque numeris absoluta observatio prodierit?

§. 34.

Et ita quidem scholiastae propriis Symmachi observationibus utebantur; quae autem ille antiquiorum interpretum placita attulerat, ea ita in rem suam convertebant, ut raro, quemadmodum vidimus, Symmachi se ea industriae debere indicarent; tum eorum nomina interpretum omittebant saepissime, vel substitutis in eorum vicem istis: *τινές*, *οἱ μὲν — οἱ δέ* etc., vel omni alieni dominii indicio omisso, ut in eis quae in schol. 1 ad Ran. 186 de *Λήθης πεδίῳ* dicuntur; quae Didymi esse apparet ex schol. Ravenn. ad h. l., aut in schol. 2 ad Plut. 720, ubi primam *ὄξους Σφηττίου* explicationem Didymi esse ex Athenaeo II, p. 67 D. post alios observavit Hemsterhusius; aut in schol. Lysistr. 722, ubi originatio vocis *κατιλυσπᾶσθαι* Eratostheni erat accepta referenda, uti cognoscitur ex Hesych. s. v. *κατειλυσπωμένην*. Quamquam si contendas, interdum non scholiastarum, sed ipsius Symmachi culpa nomina quaedam esse omissa, non multum refragabor. — Deinde quum plurium in singulis locis interpretum diversae sententiae a Symmacho in unum coactae essent, saepe scholiastarum singuli quae cuique maxime placebat interpretationem ex ista collectione sumpserunt, neglectis ceteris; unde factum, ut in singulorum exemplarium oras interdum singulae vel binae sententiae diversorum interpretum reciperentur, quorum exemplarium quum in unum colligerentur scholia, omne istorum scholiorum oportebat fontium indicium evanescere. Idque magis etiam ita eveniebat, ubi Symmachum scholiastae ex eis, quae ipsi ei debebant, paululum correxerant; quode supra in transcursu a nobis monitum satis est [1]); item, ubi qui codicem

1) Cf. supra §. 22.

aliquem scholiis ornavit, non ipsum Symmachum prae manibus habebat, sed excerpta tantum ex ejus libro, eaque in codicis unius vel plurium margines pridem inde conjecta ab aliis; qualem multorum esse nostrorum scholiorum originem, imprimis in eis quae praecipue lectitabantur fabulis, et per se credibile est, et supra uno quidem at aptissimo illo exemplo a nobis comprobatum §. 6.

His ita expositis quid in universum de nostris antiquorum in Aristophanem scholiorum collectionibus statuendum sit ultro apparet: quaecunque habemus ex Symmachi commentario fluxerunt, fueruntque quae in singulis codicibus *πρωτοτύποις* extabant scholia non nisi unius Symmachei libri epitomae, vario consilio et successu factae; tales autem codices *πρωτότυποι* hodie non jam videntur superesse, nostrique codices tenent potius plurium *πρωτοτύπων* copias in unum locum coactas, in brevius contractas, hic illic etiam novis et recentibus donis adauctas.

§. 35.

Illis enim finibus per se satis amplis, quos modo indicabamus, circumscribi se scholiastae patiebantur minime; praeter ea enim, quae uberrima Symmachi collectio suppeditabat, ipsi de suo inferciebant alia, vel commodata ab aliis, vel ab ipsis inventa; unde imprimis factum, ut scholiorum nostrorum sylloge pejus hodie audiat ob falsas quasdam et ineptas observationes, quam exspectandum ob majorem optimarum et antiquarum notarum copiam erat. Sed enotare ejusmodi recentiorum ineptias et longum est nec necessarium, tum etiam satis difficile, quoniam antiquos quoque illos et bonos interpretes dormitasse nonnunquam probabile est. Illud autem nostri est officii, ut in universum quibus indiciis ejusmodi emblemata, sive inepta sunt sive haud indocta vel a re non aliena, facile possint ab accurato lectore agnosci moneam. Itaque primum si quid christianum spirat animum, id recens fetus erit; namque christianismum maxima scholiorum pars quamque jure antiquam dixeris minime redolet. Deinde additamenti indicium recentiora vocabula praebent, ab antiquis interpretibus abhorrentia, qualia in nostra collectione passim uberiori alicui expositioni interposita videmus, vel ad antiquum vocabulum explicandum huic tamquam glossema appositum, ut si in schol. Thesmoph. 491 legimus: *ὀρεωκόμων*] *τῶν νῦν καλουμένων σ τ α β λ ί τ ω ν ἢ β ο υ ρ δ ω ν α ρ ί ω ν*, cujus generis plurima exempla sunt per totam syllogen sparsa; sed in priore genere saepe haesitaveris, totumne scholium, an unicam illam exiguam ejus particulam, quam recens vocabulum ornat, recentioris cujusdam emblema dixeris. — Po-

stremo recentiorum manus agnoscuntur facile in eis locis, quibus scriptores citantur qui multo post Symmachi aetatem vixere; qui loci quum et pauci numero sint, et tales laudent scriptores qui vel ob ipsum rerum tractatarum genus Symmachique interpretandi rationem vix potuerint a Symmacho citari nec citantur nisi semel bisve: non poterunt eis opponi, quae supra de Symmachi aetate enucleavimus. Inter tales autem scriptores primus referendus est Georgius Pisides, septimi post Christum saeculi homo, cujus ad explicandam vocem satis vulgarem, ἀντλία, hic citatur senarius in schol. Pac. 17: ἐκ τῶν ἐχόντων τὰς δυςώδεις ἀντλίας. Porro in schol. Equit. 540 longior extat locus „ἔκ τινος τῶν τῆς παρ' ἡμῖν θρησκείας ἱεροφαντῶν," quem Gregorium Nazianzenum esse non fugit Kusterum, not. ad schol. l. l. Tum isti theologo qui fere aequalis fuit Libanius citatur in schol. Ach. 144. Deinde quem Pseudophocylidem hodie appellare solemus item recentior aliquis scholiasta de suo videtur addidisse in schol. Nub. 241. — Quid quod Philostratum adeo in schol. Ran. 216; Aelianum in schol. Av. 158; Appianum in schol. Equit. 598; Athenaeum in schol. Pac. 1210; Arrianum in schol. Acharn. 86; Lucianum in schol. Ran. 968 et 988; Nub. 72; 326; 599, Pausaniam in schol. Nub. 331, alios alibi citatos non e Symmachi libro depromptos, sed ab ipsis scholiastis additos censeo? Hi enim scriptores partim apud recentiores ita celebrabantur itaque per omnium ferebantur ora, ut si vel magis quam revera factum est ad justum nec nimis oneratum alienis commentarium Aristophaneum adhiberi potuissent, tamen ad Symmachum minus quam ad aliquem recentiorem scholiastam citati ejus scriptoris gloriam redundare dicerem; partim cum ipsa Aristophanis interpretatione minus cohaerent, quam Symmachea interpretandi ratio efflagitare videtur; partim denique ita sunt natura sua comparati, ut paene toti pendeant ab antiquioribus fontibus, quos ipsos adire Symmachum et potuisse et voluisse quis velit negare? Et ultimum quidem hoc in Athenaeum imprimis cadit, quem eosdem nonnunquam cum Symmacho fontes adiisse supra passim monuimus, sed cujus frequentior sine ulla dubitatione et illustrior memoria in nostris scholiis extaret, si non tam a recentioribus scholiastis quam a Symmacho esset usurpatus.

§. 36.

Quam quidem de additamentis a Symmacho alienis sententiam eo confidentius licet proponi, quod praeter illum alios quoque ad ditanda scholia nostra non fuisse ἀσυμβόλους, ex ipsis istis subscriptionibus, unde potissimum Sym-

machi memoriam restauravimus, certissime apparet. Id quum non dissimulem, sed in clariore adeo luce collocare studeam, non vereor tamen ne toti meae de Symmachi opera disputationi ruinam ipse struere videar. Namque illos si demonstravero partim in longe alio negotio occupatos fuisse, partim aut ipsos singulas tantum Aristophanis fabulas recentiore aetate parum docte illustrasse, aut a scholiastis recentioribus in singulis tantum fabulis consultos esse, res mea manebit mihi integra vincetque ea sententia, qua Symmachi librum unicum veterum et doctorum in Aristophanem scholiorum fontem fuisse affirmavi. Simulque ita inventi alii sunt, quibus quae in scholiis a Symmacho abhorrent haud injuria possis vindicare. — Sed si subscriptiones illas denuo contemplamur primus **Phainus** advertit animum, cujus licet splendens nomen sit, non videtur tamen doctrinae quadam fama obscuritatem et tenebras quae ejus nunc obductae memoriae sunt amovere potuisse. Etenim praeter scholia Aristophanea unus tantum accurate quaerenti sese obtulit locus quo memoratur, in Etym. Mag. p. 200, 38 seq. cujus supra jam produximus verba et hunc in modum correximus: *τὸ βλιμάζειν — Φαεινὸς καὶ Σύμμαχος παρὰ τὸ θλιβομάζειν κ. τ. λ.* Quae ubi primum videbam comparabamque cum subscriptionibus in Codice Veneto: *παραγέγραπται ἐκ Φαεινοῦ καὶ Συμμάχου*, eo inclinabat animus, ut omnem illam quam supra descripsi operam non solum Symmachum, sed Symmachum et Phainum conjunctis viribus subiisse putarem; quale consortium non abhorrere ab antiquis illis interpretibus credebam Eustathii memor ad Iliad. α, 20 = p. 28 edit. Rom.: *Ἀπίων καὶ Ἡρόδωρος*[1]), *ὧν βιβλίον εἰς τὰ τοῦ Ὁμήρου φέρεται*, quamquam de hoc anceps est judicium[2]). Qua in re illud quidem non multum contra meam istam opinionem valeret, quod Phainum et Symmachum deprehendimus dissentientes in schol. Equit. 958 et 1253; at alia ad reprobandam eam argumenta suppetunt aliunde. Primum enim non ab omnibus scholiastis adhibitum esse Phainum confiteri cogimur; namque in subscriptionibus Avium quae sunt in Veneto et Leidensi codice, Phaini desideratur nomen, et licet ab eo illam fabulam ad quam pertinent istae subscriptiones illustratam colligere possis ex Etym. Magn. l. l. (cf. §. 26), tamen si qui ista subscripserunt Phaini aut proprium aut communem cum Symmacho commentarium cognossent, qui potuissent alterius memorare nomen, reticere alterius? Accedit ut quum quinquies diserte in scholiis lau-

---

1) Vel potius *Ἡλιόδωρος*, quae Valckenarii est sententia, Opusc. II, p. 151, probata illa Ritschelio, de bibl. Alexandr. p. 143.
2) Cf. Ritschl. de bibl. Alexandr. l. l.

datus Phainus sit, bis (ad Equit. 958 et 1146) ejus interpretationes ita sint positae, ut singularem locum obtineant, voce *ἄλλως* a ceteris observationibus sejunctum; tum item bis (ad Equit. 1125 et 1216) solae sint, quas omnino ad istos versus scriptas hodie scimus; postremo semel (ad Equit. 1253) et Symmachi et Phaini interpretationes ita producantur, ut utramque scholiastam legisse ipsum et excerpsisse ac dein sibi opposuisse apparere videatur; quae profecto ita comparata sunt omnia, ut parum inde probabilitatis meae isti opinioni accedat; sed si quicquam, illud potius certo inde colligi posse videtur, Phaini interpretationes e singulari quodam libro accessisse Symmachi copiis, non in eodem atque illius volumine inventas esse. Unde firmatur codicis Leidensis et Veneti auctoritas verumque illud manebit, non omnes scholiastas interque eos satis antiquos Phaini interpretationibus usos esse. — Deinde ne illud quidem affirmare ausim, ad omnes Aristophanis fabulas celebriores Phaini commentarium pertinuisse; namque si vel maxime concedo — quod tamen in tanta obscuritate paene temerarium est —, codicis Veneti subscriptiones ad eas omnes quae in isto codice junctim scriptae fabulae sunt trahi posse, atque non ad Equites solum propter scholia Aldina ad Equit. l. l., et ad Aves propter Etymologicum Magnum, et ad Pacem propter Veneti subscriptionem in fine scholl. in Pacem, et ad Nubes ob Villoisoni et Bekkeri narrationem credam Phainum commentarium scripsisse, sed etiam ad Plutum, Ranas, Vespas: tamen vel sic duae certe fabulae restant, quas Symmachum interpretatum esse constat, Acharnenses et Thesmophoriazusae, in quas si communis Symmacho et Phaino aut solius Phaini commentarius extitisset, qui potuit fieri ut nusquam aliqua in eas fabulas Phaini observatio hodie diserte ei ascripta sit? — Postremo vereor, ne ejusmodi qualem statuebam societatis suspicionem ipse, si posset, Symmachus longe a se deprecaretur, homo doctus et in eligendo bono ac probabili alioquin cautus et accuratus; non poterat opinor talem asciscere sibi socium, qui, ut hoc utar, in Equit. 958 contra analogiam omnem et veterum usum *μολγὸν* putabat esse *ἀντὶ τοῦ τυφλόν*, prorsusque *ἀπροσδιονύσως* recordatus Herodotei loci 4, 27 — hunc enim opinor intellexit [1]), — „*Ἡρόδοτος δέ,*“ addebat, „*ἱστορεῖ τούτους* (*τοιούτους*?) *ἐπάνω τῆς Σκυθίας εἶναι;*“ qua non multo exquisitiores reliquae quas scimus hominis interpretationes sunt. — Quae quum ita sint, aliter apparet quam olim feceram de Phaini opera judicandum esse; et tametsi probe intelligo quam sit am-

1) Nisi potius intelligi voluit Herodot. 4, 2, quae Wesselingii fuit opinio, ad 4 2.

biguum, ex tam paucis quot hic suppetunt argumentis — posui autem supra quae invenire poteram omnia — certi quidpiam colligere velle, tamen vix arbitror accuratius inde ferri posse judicium quam hoc, fuisse Phainum grammaticum satis recentem, eumque nec doctum probe nec ab antiquis in Aristophanem commentariis valde instructum, qui satis levi opera nonnullas Aristophanis fabulas interpretatus sit, ad modum fere Thomae Magistri, i. e. codicibus Aristophaneis usus, quibus excerpta vetera e Symmacho apposita fuerint; quae quum, ut fere mos fuit istorum grammaticorum, saepe suffuraretur integra et pro suis venditaret, facile poterat evenire, ut in scholiis Aldinis plerumque omitteretur Phaini nomen, in Etymologico autem Magno ab aliquo recentiore magistro Symmachi memoriae, quam solam propagaverat Orus (cf. supra §. 26), adderetur [1]. — Hoc si verum judicium est, facile pro se quisque concedet, Phaini librum inter veterum et doctorum in Aristophanem scholiorum fontes non posse referri.

§. 37.

Deinde jam dudum urgebat animus ut de Heliodoro disputarem, Irenaei grammatici magistro, metrico inter veteres satis celebri, de quo potissima veterum testimonia composuit Ritschl de biblioth. Alexandr. etc. p. 138 seqq. omissis tamen eis quae ad Aristophanea viri studia pertinent. Haec primum innotuere e codice Veneto 474, cujus in fine scholiorum ad Pacem haec leguntur: *κεκώλισται πρὸς τὰ Ἡλιοδώρου*, unde alteram subscriptionem in eundem sensum correximus a Villoisono proditam. Sed illud *κεκώλισται* quid sibi velit nemo demonstrari sibi cupiat nisi prorsus imperitus rei metricae; jure autem istud me retinuisse vitiosamque pronuntiasse Villoisoni scripturam reliqui quoque loci quibus diserte Heliodorus memoratur non improbant, schol. Pac. 1317: *ὑμὴν ὑμέναι' ὦ] οὕτως Ἡλιόδωρος*, — et schol. Vesp. 1283 *Ἡλιόδωρος· μετὰ τὸν στίχον τὸν γλωττοποιεῖν — ἑκάστοτέ εἰσι τόποι ἑπτὰ ἔχοντες στιγμάς, καὶ ἀλόγως, ὧν ἐκ προχείρου μὲν εὑρεῖν τὸν λόγον οὐκ ἔστι, τὰ δὲ τοιαῦτα πολλάκις εἶπον ὑπολαμβάνω* (scrib. *εἶπον, ὑπολαμβάνω δὲ*) *ὅτι ἐν τοῖς πρώτοις ἀντιγράφοις φθαρέντα, ὅτι μὲν τοσαῦτα ἦν, τοσαῦτα τὸν ἀριθμὸν γνωσθῆναι* (scrib. *ὅτι μὲν τοσαῦτα ἦν τὸν ἀριθμὸν γνωσθῆναι*), *οὐ μὴν τίνα*, id est: „suspicor si quando cola nonnulla evanuerant in antiquis exemplaribus, quot ista cola fuerint punctorum numero indicatum fuisse.“ Hinc primum

1) Hoc non abhorret ab Etymologici Magni conditoribus; cf. Ritschl de Oro p. 16.

ex istis πολλάκις εἶπον planissime apparet Heliodorum continuam aliquam et perpetuam operam in enarrandis metris Aristophaneis posuisse, quam quis magnopere dubitet agnoscere eandem in eis quoque locis sat multis, quibus in exponendo metro occupatis interposita haec sunt: ὡς εἴρηται, ὡς εἴπομεν —? cf. schol. Plut. 627 et 1042; schol. Nub. 264; 276; 291; 313; 438; 512; 690; 996; 1188; schol. Vesp. 270; 1450; schol. Eq. 992; Pac. 772; Av. 737; alibi. Quamquam in omnibus ejusmodi locis Heliodorum loquentem me audire ne ipse quidem dixerim, quum et in ipsis hisce locis et alibi in indicando metro ad Hephaestionem provocari videam, qui Heliodoro fuit recentior aetate: cf. schol. Nub. 276 (bis); 291; schol. Ach. 598; Ran. 1262. Itaque tametsi istam metrorum enarrandorum rationem Heliodorum puto in scholiis nostris non solum instituisse sed suo praeivisse quodammodo exemplo alteri, tamen ea ambiguitate non impediri me patiar, quin de ista Heliodori opera quid sentiam libere eloquar, nihil veritus ne hariolari videar. Scripserat igitur Heliodorus, nisi egregie fallor, aliquam κωλομετρίαν τῶν μελικῶν Ἀριστοφάνους, qualem postea Eugenium litteris mandasse scimus [1]) hoc sub titulo: κωλομετρία τῶν μελικῶν Αἰσχύλου, Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου ἀπὸ δραμάτων ιε΄. In quibus illi libris primum videntur in universum de metri natura [2]) singulisque versuum generibus disputasse ac dein singulos deinceps versus ad suum quemque genus revocasse. Tale quin utile fuerit institutum nostrisque imprimis studiis fuisset, si servati libri essent, perquam fructuosum non potest dubitari; nunc autem si integros libros quaeris in eis acquiescendum nobis est, quae parum docte et utiliter, at simili prorsus ut arbitror consilio recentiores quidam graeculi composuere. Apparet autem ejusmodi operam duplici imprimis ratione institui posse, ut aut contextus simul criticis subsidiis constituatur ipsaque metrorum indagatio tale sit subsidium, haud levis profecto illud momenti; aut metrorum enarratio applicetur ad alius cujuspiam critici editionem ab eaque nusquam recedat. Harum rationum neutram arbitror Heliodorum sequutum esse integram, sed quodammodo tertiam quandam ex utraque mixtam. Quam in rem utar scholio in Pac. 905, quod etsi Heliodori non insignitum nomine est, magna tamen probabilitatis specie ad hunc referre videor, quum e codice Veneto, qui ejus metrici commentarium subscriptione teste continet, a Bekkero primum editum sit; sic autem

---

1) Cf. Suidas s. Εὐγένιος.

2) Diversum ab hac κωλομετρίᾳ oportet Heliodori ἐγχειρίδιον fuisse, cujus initium servatum est a Longino, Prolegom. in Hephaest. pag. 142. Gaisford.

habet: διπλῆ. ἕπεται γὰρ μέλος, ὃ ὑπονοῶ μὲν ἔχειν τὸ ἀντίστροφον ἐν διεχείᾳ (nempe post versum demum 987 ed. Bekk.), φέροντι δὲ (scrib. φέρεται δὲ) ὡς διάφορον. διόπερ πρότερον παραθήσομαι ὡς φέρεται. καὶ ἔοικεν ἐνταῦθα τὸ κατορθοῖ περιττεύειν — — [1]) — — ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐατέον, ὡς δὲ ἔχει ἐξηγητέον. ubi vides hominem aperte non suo sed alius critici contextu usum, at eundem non prorsus illi in servitutem se addicentem, sed melius interdum semet ipsum profitentem sapere. A taline igitur metrico abhorrere possit circumspicere interdum diversas lectiones, si quae in antiquis exemplaribus inveniebantur, easque quam vim habeant in adornando metro indicare? — id quod factum videmus in schol. Pac. 478; Nub. 1303; Av. 1480; Ran. 347; Plut. 505; adde schol. Pac. 1300 et 1304. E contrario alii loci docent hominem alius auctoritati tacite obsequutum, ut qui ex signorum metricorum usu ab isto contextui appositorum metra digesserit: cf. schol. Av. 400, 451, 1329 etc. coll. Eq. 938 extr., quae non aliena ab Heliodoro ob aliquam nimii obsequii speciem esse demonstrat illud in Pac. 905 scholium: διπλῆ. ἕπεται γὰρ κ. τ. λ. — His expositis quaerendum quis ille fuerit cujus se editioni applicuerit Heliodorus. Significavi autem jam supra Aristarchum, qui in hac quoque studiorum parte principatum tenere visus antiquis grammaticis sit [2]), nititurque ista mea opinio partim scholio in Equit. 563: τὸ ἐπίῤῥημα στίχων ἐστὶ ιστ΄ τετραμέτρων τροχαϊκῶν, ὃ φιλεῖ Ἀρίσταρχος, partim schol. ad Ran. 354, ubi vituperata Aristarchi quam apposuerat distributione enarrator metricus, „καὶ τί ἄρα," inquit, „σύνοιδεν ὁ Ἀρίσταρχος;" partim denique schol. Ran. 372: — ἐντεῦθεν δὲ Ἀρίσταρχος ὑπενόησε μὴ ὅλα τοῦ χοροῦ εἶναι τὰ πρῶτα. τοῦτο δὲ οὐκ ἀξιόπιστον κ. τ. λ.; haec enim scholia cui majore probabilitatis specie possim ascribere quam Heliodoro? — quamquam probe intelligo, quousque et hic et in reliqua de Heliodoro disputatione progressus sim, ut qui tacite statuerim ad plures eum fabulas scripsisse commentarium metricum, quam quot diserta testimonia indicant. — Sed haec quidem hactenus: quibus licet omnem de metricis scholiis quaestionem excussam non putem, tamen propterea non magnopere mihi succenseo, quum illud saltem nunc patere arbitrer quod caput rei erat, ejusmodi fuisse Heliodori industriam, qua nihil nostra de Symmacho sententia detrimenti capiat; nam metricorum quo-

1) Quae omisi corrupta acutioribus sananda relinquo; illud tamen intelligere mihi videor, aliam metricum lectionem sequutum esse, atque qualis in nostris est exemplaribus.

2) Quo jure, — nunc non quaero; sed vide Boeckhii de Aristarcho metrico judicium in Praef. schol. Pindar. p. XIII.

que scholiastarum fontem fuisse Symmachum nusquam affirmavi. —

§. 38.

Postremo in subscriptionibus Villoisoni eaque quam Bekkerus mecum communicavit itemque codicis Leidensis ἄλλοι memorantur, quorum item observationes scholiis interpositae sint. Quali ambiguae sane notae etsi ego non soleo multum tribuere in universum, et hic quidem simulatae copiae ostentationem subesse putaverim aut malam religionem hominum qui frequentem in scholiis antiquorum grammaticorum mentionem fieri viderint, eorumque memoriam, in subscriptionibus ab eis qui primi excerpserant Symmachi librum subscriptionemque addiderant injuria scilicet omissam, jure ibi restituere sibi visi sint, — tamen non reluctabor magnopere, si quis non inanes umbras, sed veros homines ab ipsis scholiastis adhibitos sub ista latere larva arbitretur, modone de antiquioribus Symmacho interpretibus cogitet; nam talium si scholiastae ipsi consuluissent integros libros, non potuisset, mihi crede, unquam fieri ut in subscriptionibus clarissima omitterent nomina, ponerent obscura; tum velim ne ita cogitet, istos ἄλλους fuisse vel eosdem ab omnibus scholiastis, vel eosdem in omnibus fabulis adhibitos; cui opinioni vel sola quarta obstaret subscriptio, in fin. schol. ad Pac., quae caret ἄλλων mentione. Quodsi ita commutes et circumscribas eam de ἄλλοις sententiam, non reluctabor ut dixi magnopere, qui ita intelligam, integram prorsus et salvám fore nostram de Symmachi opere sententiam. —

Unum praeterea addo, ne quis frustra se perspicacem glorietur esse. Fore enim praevideo, qui sub istis obscuris personis latere suspicentur Thomam Magistrum, Joannem Tzetzen, Manuelem Moschopulum, Demetrium Triclinium, quibus hodie, ubicunque de scholiis Aristophaneis mentio injicitur, adeo id tribuitur, ut scholiorum quibus utimur Aristophaneorum primam collectionem instituisse dicantur. Audi Fabricium, in bibl. graec. libr. 2 cap. 21 ita disserentem: „antiqua scholia in Aristophanem a Marco Musuro Cretensi descripta et recensita collegerunt Thomas Magister, Demetrius Triclinius aliique recentiores Graeci ex variis veteribus grammaticis, qui in Aristophane illustrando operam suam olim collocarant, quales fuere Apollonius, Aristarchus etc.," — quae in sua editione repetiit Harlesius, Tom. II, p. 374, addito Joanne Tzetze, repetiitque

Ernestius, Praefat. annot. ad scholl. in Nub. [1]), repetierunt denique recentiores harum rerum scriptores fere omnes ad Schoellium usque, hist. litt. graec. I, p. 284 ed. germ. et Stoeckerum, de Sophoclis et Aristophanis interpretibus graecis, p. 12, mutatis vel paucis vel nihil. Haec si vera essent, frustra tota mea suscepta esset opera, qui non recentioribus istis magistris, sed longe his antiquiori Symmacho illud tam laudabile colligendarum vetustiorum grammaticorum observationum vindicaverim consilium. Duos igitur parietes, ut ajunt, de eadem fidelia dealbavero, si demonstrabo in scholiis Aldinis quaeque cum eis ejusdem fere sunt aetatis et pretii, Codicum Venetorum, Ravennatis, Leidensis, nihil esse, quod istos grammaticos vel scripsisse vel collegisse primos jure possis dicere. Videtur autem ista Fabricii opinio Kusteri verbis niti, male in latiorem tractis sensum, in Praef. ad Aristoph. fol. 3, ubi „scholia Musuri," inquit, „partim a vetustis grammaticis conscripta sunt, — partim auctores habent Thomam Magistrum et Joannem Tzetzen aliosque fortasse illius aetatis Graeculos; de Thoma Magistro omne dubium mihi exemerunt excerpta scholiorum in Aristophanem ex codice Mss. Vaticano MCCXCIV qui fuit quondam Fulvii Ursini, itemque excerpta ex codice Urbinate CXLI in eadem bibliotheca; horum enim codicum prioris excerpta praeferunt nomen Thomae Magistri, posterioris Joannis Tzetzae, in quibus quae leguntur maxima ex parte in editis ad Aristophanem scholiis αὐτολεξεὶ quoque occurrunt." — Hic primum vides de Thomae Magistri ceterorumque consilio colligendi ne verbum quidem, ut id de suo inde Fabricius collegisse videatur, falsum illud vel propterea quod etiam codices Ravennas et Venetus qui Bekkero teste [2]) istis grammaticis haud paulo sunt antiquiores, factam jam dudum antiquarum observationum collectionem, qualem illis demum vindicat Fabricius, demonstrant, eamque in summa rerum Aldinae admodum simili; unde qui possim injuria collegisse videri, eam quoque scholiorum collectionem, qualis in Aldino exemplari comparet, dudum fuisse absolutam, quam isti nati erant grammatici? — Hoc victus argumento nemo posthac opinor ea ratione recentiorum istorum manus grammaticorum in scholiis Aldinis

---

1) Cf. eum apud Dindorf. Tom. XII, p. 274: „concesserim, Thomam Magistrum aut Demetrium Triclinium excerpendi initium fecisse ex antiquis et bonis commentariis."

2) Bekk. Praef. Arist. T. I, p. VI „codex Ravennas cur antiquior putetur seculo undecimo nihil esse causae video." Et paulo post: „Venetus Ravennate fortasse non recentior." — At istorum grammaticorum antiquissimus, Joannes Tzetzes, duodecimo demum floruit saeculo.

laborasse putabit. — Sed ne illud quidem concedam Kustero, scholia Musuri — partim auctores habere Thomam Magistrum et Joannem Tzetzen, quoniam quae Kusterus attulit argumenta infirma sunt omnia, tum quod aliquid etiam obstare Kusteri sententiae video. Primum enim codex Urbinas, ex quo excerpta scholia Tzetzae nomen praeferre dixit, plures non habuit fabulas quam Plutum, Nubes, Ranas, Aves, ut saltem ad has tantum fabulas scripsisse Tzetzen, non in universum scholia Musuri partim Tzetzen auctorem habere Kusterus dicere debuerit. Quid quod ne ad omnes quidem quattuor illas fabulas Tzetzae commentarium pertinuisse jure inde cogi possit? nam si ejus nomen scholia codicis praeferebant, i. e. Pluti, vel quaecunque prima in eo codice fabula est, scholiis ejus nomen praefixum erat, qui statim inde potuit Kusterus eam inscriptionem ad reliquas quoque fabulas trahere? — Eademque fere de Thoma valent, nisi quod quae de hoc narrat Kusterus aliquanto etiam mirabiliora sunt propterea, quod eas fabulas, quae extant in codice Vaticano [1]), ne attigisse quidem Thomas Magister videtur [2]), eis tribus contentus fabulis, quae in altero Kusteri codice priores sunt. —

§. 39.

Sed graviora etiam suppetunt argumenta, quae augeant dubitationem. Primum enim perquam memorabile est quod de codice Cantabrigiensi secundo annotavit Dobraeus [3]): „incipit," ait, „codex msc.: *τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου κυροῦ Θωμᾶ τοῦ Μαγίστρου σύνοψις τοῦ βίου Ἀριστοφάνους καὶ τῆς τοῦ δράματος ὑποθέσεως.* deinde scholiis praefixum a manu prima: *σχόλια τοῦ αὐτοῦ Μαγίστρου.* N o t a n d u m, quibusdam praeponi *παλαιόν*; vid. collat. Ran. 562 (= schol. 2 ad Ran. 549 Bekk.)" Hinc vides, codicem illum, etsi Thomae nomen praefixum habeat, non tamen solius continere Thomae scholia, sed etiam multo eo antiquiora; potuerintne igitur simili modo Kusteri illi codices comparati esse, ut, si excerpta ex istis codicibus Kustero videbantur paene congruere cum scholiis Aldinis, id non eam apud ipsum vim debuerit habere, ut aliquam scholiorum Musuri partem Thomae esse affirmaret: potuerunt enim quae congruebant ibi cum Aldino exemplari antiquissima adeo scholia esse, quae non congruebant a Thoma sola esse profecta. — Deinde novimus hodie omnes malam

1) i. e. Equites, Acharn., Vesp., Pax, Lysistrata. Plures enim fabulas non indicat Kusterus.
2) Cf. Ritschl Prolegom. in Thom. p. CIV.
3) Apud Dindorfium, Volum. VII. tom. I, p. XV.

recentiorum Graeculorum fidem, qua, quicquid boni et docti a veteribus grammaticis traditum invenerant, istorum celato nomine pro suis venditabant: quae consuetudo quam non aliena a Thoma sit Ritschelius demonstravit, Praefat. ad Thom. Eclog. voc. att. p. L seqq. Quemadmodum igitur maximam eorum partem quae in Ecloga leguntur nemo putabit a Thoma profectam ipso esse: ita Kusterus in suis codicibus non debebat, si accurate agere voluisset, affirmare propria Thomae scholia legi, indeque colligere Musuri quoque scholiorum partem a Thoma esse compositam. —

Jam apparere arbitror, quam parum certa Kusteri fuerit argumentatio; quae etiamsi ita certa esset ut est profecto incertissima, corrueret tamen eo quod statim afferam argumento. Nimirum sunt quaedam Thomae in Aristophanem observationes aliunde notae, quae in Aldino exemplari non leguntur: cf. Ducangium [1]) in glossar. med. et infim. graecit. s. *ἀπόθερμον*, *δεδαλισμένος*, *κεφάλαιον*, *κορυφαῖος*, *μαυλίστρια*, *μουστόπιττα*, *προζύμι*, *τρίειον*, *φυτίλιον*; et Schaefer. ad Plut. Hemsterh. p. 488. Quodsi Aldina scholia partim sunt a Thoma conscripta, qua idonea ratione factum excuses, ut illorum quidem nullum hodie ibi sit vestigium? Quamquam citantur etiam aliunde Thomae in Aristophanem notae, quae in Aldino quoque exemplari leguntur; cf. Ducang. p. 1536 sub *ταυρίζειν* (ubi corrigendum *σκορδινᾶν*) coll. schol. Ran. 922; p. 1712 sub *φυσικεύειν* coll. schol. Nub. 167; p. 1769 sub *χρυσοκάνθαρον* coll. schol. Nub. 753, ubi Thomana vel tota vel maximam partem cum Aldinis scholiis conspirare videbit qui conferre voluerit; item Pricaeus not. ad Apuleji Apologiam (Paris. 1635) p. 9, „Thomas Magister" (quem in indice appellat manu scriptum), inquit, „ex bibliotheca eruditissimi Renati Moraei ad Aristoph. Nub.: *ὠχριοῦντες καὶ ἀνυπόδητοί εἰσι* (οἱ φιλόσοφοι) *ἐπειδὴ μόνης ἀρετῆς φροντίζοντες, οὐ τρυφῆς διώκουσι τὸ ἀπέριττον.*" Quem si non latebat (quod paene crediderim), re-

---

1) Usus est Ducangius codice Parisino (Colbert.) 4421, ut ipse indicat in indic. auctor. Tom. II, p. 33; is continebat Plutum, Nubes, Ranas cum Thomae scholiis, item glossas interlineares ad easdem fabulas, quas glossas et ipsas Thomam scripsisse Ducangius putat, vereor ne injuria; vide modo ipsum Ducang. sub *φυσικεύειν* p. 1712. — Sed operae pretium fecisse videbor, si, quod Ducang. omisit, indicem earum glossarum subjecero, quibus ditari scholia possunt; cf. igitur Ducangium p. 4, 550, 588, 596, 597, 605, 617, 622, 637, 640, 670, 738, 784, 819, 830, 843, 846, 928, 965, 977, 1094, 1124, 1320, 1353, 1358, 1413, 1522, 1571, 1624, 1657, 1673, 1712, 1723, Addend. p. 19, 50, 52, 69, 76, 77, 97, 100, 106, 112, 132, 145, 150, 153, 154, 165 (bis). 174, 178, 185, 186. Praeterea Ducang. utebatur codice Parisin. reg. 3324, qui continebat Plutum et Nub. cum glossis interlin. et scholiis (vid. indic. auct. p. 35 et p. 38), unde deprompta sunt e. g. quae p. 1384 sub *σκατοπάμπουλον* posuit; item in Add. p. 83 et 172; reliquos locos non notavi.

periri eadem in schol. Aldin. ad Nub. 103, ita censendum est, maluisse eum inter Thomam et scholia Aldina distinguere, quam, quod in promptu erat, inde Thomam ista in scholiis Aldinis scripsisse colligere. Sed sive revera Pricaeum hic habeo opinionis meae consortem, sive pro meis me stare solum judicas, non dubitabo tamen meam de Thomae scholiis sententiam fortiter proponere, quam hanc habeto: triverat olim Thomas codices nonnullos Aristophaneos, quibus eadem atque Musuri codicibus ratione excerpta ex Symmachi commentario apposita erant; inde tum in Eclogam suam intulit nonnulla, — de quibus ex Ritschelii indice, p. 421 seqq. coll. scholl. Aldinis judicium ferri facile potest, — tum in proprium aliquem Aristophaneum commentarium plurima recepit, paucis mutatis, suaque addidit: cui similem scholiis veteribus in Pindarum adornandis operam Thomam navasse, Boeckhius statuit, Praefat. schol. in Pind. p. XXVI. Iste autem commentarius ad Plutum tantum, Nubes et Ranas pertinebat, quod tum e codicibus Cantabrigiensibus aliisque, in quibus praeter tres illas fabulas non nominantur, ad quas Thomae commentarius pertinuerit, ut in Ducangii codice, in cod. Paris. 2824, 2827 (cf. biblioth. Paris. reg. cod. Paris. 1739, Tom. II), etc. tum e Ritschelii observatione colligo, Praefat. ad Thom. Eclog. p. CIV, Aristophanis tribus tantum fabulis Thomam in Ecloga usum ipsum esse, ut plures ne cognovisisse quidem videatur. Legitur autem Thomae commentarius, sive solus sive commixtus cum antiquioribus scholiis servatus in Kusteri codice, tum in Dobraei codicibus duobus Cantabrigiensibus, postremo in codicibus Parisinis uno alterove, non item autem legebatur in codicibus Musuri, unde is scholiorum editionis Aldinae syllogen deprompsit, itemque abest a Ravennate et Veneto codice. — Sed unum tamen non celabo lectores, mihi quidem tam leve visum, quod in scribendi ardore supra plane excidisse memoriae non poeniteat, illud dico, quod in exemplari Aldino leguntur aliquot Thomae ὑποθέσεις. Hoc leve, inquam, mihi visum, unde de scholiis nihil jure possit colligi; aliis si magnum videbitur, nolim reliqua obliviscantur, quibus veterem istum errorem propulsare studui; qua in re si ipse convincar erroris, honorifice tamen errasse me putabo, ut qui altius in rem inquisiverim neque sine ratione justa famam communem sequi voluerim, quod tum alii fecerunt tum Rankius, de vit. Aristoph. p. CLXXIII seqq., qui de universae rei veritate securus, discernere adeo posse in scholiis Aldinis quid antiquorum sit grammaticorum quid Thomae sibi visus est.

§. 40.

Tantum quidem de Thoma; de reliquis autem Graeculis hoc addo, quae ex eorum in Aristophanem commentariis aliunde sint a viris doctis communicata, ea in scholiorum collectione Aldina non legi, unde majore certe jure, quam quo Kusterus suis argumentis probare, istorum grammaticorum esse partem scholiorum Musuri, voluit, nos hoc poterimus colligere, nihil in istis scholiis esse, quod ascribere illis Graeculis possis. Citatur autem Tzetzae quaedam ad Nub. 10 observatio a Kustero, not. ad schol. Ran. 1505, p. 75, quae in nostris ad Nubes scholiis frustra quaeras, cui observationi Dindorfii [1]) conjectura quaedam erit addenda, qui in grammatici nescio cujus nota, ab Osanno primo reperta propositaque apud Meinekium, Quaest. Scen. III, p. 3 et plenius jam apud Ritschl, de bibliothecis Alexandrinis p. 3 seq., hoc sub titulo: „ex Caecio [2]) in commento comoediarum Aristophanis in Pluto," — Caeci nomen interpretabatur „Tzetzae [3]);" — atqui ejus quoque notae in scholiis Aldinis nullum est vestigium. Contra, quae ad Plut. 505 e codice Parisino 2827 Dobraeus protulit: *ὦ Τζέτζη, οὐκ ἔστιν ὁ στίχος κακόμετρος. σὺ γὰρ εἶναι φημὶ γράφεις. διὰ τοῦτο καὶ ἄμετρον αὐτὸν ποιεῖς καὶ οὐδὲ συνταχθῆναι δυνάμενον. Ἀριστοφάνης δὲ καὶ ἐγὼ „εἶναι φήμ' ἢ" γράφομεν κ. τ. λ.* — his igitur quum in eodem codice nihil praecedat ad quod referri possint nec quicquam inventum sit quod respondeat nisi hoc in scholiis Aldinis ad l. l. *κακόμετρος δὲ οὗτος (ὁ στίχος)· ἐν ἐνίοις δὲ καὶ ἄμετρος,* — satis idoneam nonnulli sibi videbuntur causam invenisse cur a nostra opinione recedant, in scholiis Aldinis propria Tzetzae scholia non legi. Sed si qui acutioris et cautioris sunt ingenii, vel me tacente continuo in Tzetzen quoque transferent quae de Thomae in aliorum compilandis copiis calliditate supra exponebamus. — Porro e codice Kreuzerus ad Plotin. de pulcrit. pag. 370 Manuelis Moschopuli protulit scholium, quod item inter scholia Aldina non invenias. — Postremo Demetrii Triclinii non habemus quidem observationem in Aristophanem ullam diserte ei ascriptam, nisi fortassis eam, quae de dipodiis, tripodiis etc. et de catalexi agit, proposita primum in Al-

---

1) Dindorf. in Museo Rhenan. 1836, p. 232 coll. Ritschl. l. l. p. 7.

2) Notandum, infra in eadem nota apud Ritschl. p. 4 ubi repetitur nomen, non Caecius scribi, sed Cecius.

3) In istud vel simile nomen proprium sibi ipsum nonnunquam mutasse Tzetzen praeter Dindorfium observavit Lobeckius ad Ajac. p. 112 not.

dino exemplari repetitaque a Kustero, Prolegom. in Arist. p. IX seq., cui in utroque loco alter ejusdem Triclinii subjectus commentariolus hoc titulo est: *τοῦ αὐτοῦ περὶ σημείων τῆς κοινῆς συλλαβῆς τῶν ἐντὸς κειμένων τῆς βίβλου·* in quo ancipitibus syllabis indicandis proprium aliquod signum sese excogitasse Triclinius gloriatur. At primum, quemadmodum Dobraeus l. l. ex istis signis suspicabatur codicem Cantabrigiensem secundum a Triclinii recensione non immunem esse, ita equidem quod signorum ejusmodi in scholiis Aldinis nulla extat mentio, non magis quam in contextu Aldini exemplaris, jure colligere posse videor, ea scholia nihil continere quod a Triclinio profectum sit. Quae tamen si cui non sufficiet demonstrandi ratio, postulabitque, ut qua via in Pindari scholiis metricis Tricliniana Boeckhius protraxit [1]), ipsorum metrorum natura qualis in scholiis Aristophaneis indicata est, nos probemus nihil in eis scholiis esse, quod Triclinio ascribi jure possit: me quidem affirmabo ingressum istam viam fuisse et sive ingenii mei tenuitate sive doctrinae defectu frustra absolvisse; aliis autem, qui forte meo diffisi judicio eandem denuo intrare velint, statim dicam, quo jure subterfugere molestam istam et laboriosam probandi viam posse mihi videantur. Etenim omnis illa fama, Triclinium quoque in Aristophanem commentatum esse, eo solo videtur argumento niti, quod in commentariolo isto, inde ab Aldino exemplari Aristophani praemisso, legitur: *περὶ τῶν σημείων — τῶν ἐντὰς κειμένων τῆς βίβλου.* Et sane istam *βίβλον* si Aristophanem esse probari posset invictis rationibus, firmissimum illud diceremus argumentum esse. Nunc autem vide, quam hoc incertum sit; idem enim ille commentariolus cum eodem indice reperitur etiam in Pindari codice Vratislaviensi, quem littera D insignivit Gerhardus, indeque a Boeckhio editus est, schol. Pindar. p. 13; reperitur item in codice Pindari Matritiensi apud Iriart. p. 446, postremo in Vratislaviensi Hephaestionis codice, Boeckhio teste, l. l. Itaque tres jam in promptu sunt libri, quorum uni ab ipso Triclinio destinatum istum commentariolum fuisse affirmare possis; — nam unumquemque horum scriptorum eodem commentariolo idque eadem ratione perscripto ipsum Triclinium ornare voluisse si statuas, vereor ne parum probabilia videare omnibus conjectare. Sed inter tres illos scriptores quum optio data sit, omnium maxime ut sibi detur commentariolus Pindarus clamabit; suum enim medicum esse Triclinium multis se posse non admodum quidem honorificis Triclinio testimoniis, at testimoniis tamen, probare; cui non multum obstrepet Hephaestion; prorsus autem ta-

1) Cf. Boeckh. Praefat. schol. Pindar.

cebit Aristophanes, qui quo alio Triclinium sibi vindicet argumento non habet. Quae qui considerant, eis non dubito quin recte statuere videar, aut commentariolum istum Pindaro soli a Triclinio destinatum esse, indeque in alios aliorum codices sine justa causa transiisse, ut in Aristophanis quoque aliquo codice a Musuro potuerit inveniri; aut, quae Iriartii fuit sententia, l. l., mihi autem imprimis probata, partem eam esse Enchiridii de metris Tricliniani, quod inter codices Mss. graecos regiae Parisiensis bibliothecae extare hucusque in codice MCCLX dicitur, inde autem eo quo dixi modo ad alios, invitis opinor et scriptoribus hisce et ipso Triclinio, propagatam esse [1]). Sed hoc utut est, quod unicum supererat de Triclinianis in Aristophanem commentariis testimonium apparet ita de manibus nobis esse elapsum, ut nemo jam Triclinium inter enarratores Aristophaneos referre jure possit. Quodsi tamen aliquis etiamnum istud testimonium tenebit mordicus, nescio quas ratiunculas sequutus, ne sic quidem causa excidisse Symmachum, propter quem haec quoque scripsimus, contendam; quem in verborum interpretatione principem scholiorum nostrorum fontem fuisse — id quod totius disputationis meae summa et caput est — vel sic videbor jure affirmasse; nam Triclinium in Aristophane, si quicquam, metra tantum attigisse nec ulterius progressum esse, facile opinor inter me adversariosque meos, si qui forte erunt, conveniet. —

Sed de his satis dictum; nec reliquae de Symmacho disputationi quicquam invenio quod addendum sit; in qua si plurima recte disputasse videbor, laetabor summopere; sin minus, — laetabor idem veriora edoctus.

---

1) Ita in cod. Paris. 2717 (cf. bibl. reg. Paris. codic. — Paris. 1739, T. II) Aristophanis fabulis novem praemissum est Hephaestionis fragmentum, ubi de metris comoediae propriis exposuit.

INDEX.

Aelianus 116.
Alcaeus poeta 16. 17.
Alexander polyhistor 109.
ἄλλα — ἕτερα 64. not. 3.
ἉΛΛΛΩΣ 6. 67. 68. 70.
Ammonius 73. not. 1. 77. 93.
— Aristarchi successor 92 seq.
ἀναγράφειν 92.
Andreas 109.
Antigonus Carystius 95.
ἀντίγραφα 24 seq. 104.
Antipater 87. not. 3.
Apion 91. seq.
Apollodori 90. Tarsensis 94. 107.
Apollonius 89. 107. A. Chaeridis 89. 92. 94. A. Dyscolus 89. A. Rhodius 89.
Appianus 116.
Aristarchus 86. 87. n. 1. 107. 108. 121.
Aristocrates an Aristoxenus 109.
Aristocritus 109.
Aristophanes Byz. Apollonium non enarravit 87. not. 1. comici criticus 107. interpr. 88.
Aristophanis fabulae quo ordine sint explicatae 39 seqq. 54. 78. 101. cf. 51 seqq.
Arrianus 116.
Artemidorus 93 seq.
Asclepiades Alexandrinus 91. Myrleanus 90. 107.
Athenaeus 116.

βλιμάζειν 82. 83.

Calliae 23 seq. Callias gramm. 92.
Callimachus 86.
Callistratus gramm. 87. 107. 109.
Chaeris v. Apollonius.
Χιασμός 106.
Choreutarum in comoedia numerus 68.
Comicum lexicon 95. 98.
Commentarii in Danaides 33 seq.
— Eupolidis fabulas p. 13. 16. n. 2.
— Holcades 33 seq. 96.
— Pelargos 32.
— Plutum primam 74.
— Tagenistas, v. Euphronius.
Craterus 73. n. 1.
Crates grammat. 58. n. 4. 88. 107.
Cratinus ap. Etym. M. 200, 38. p. 82. n. 8. a Symmacho non enarratus 75.
Critici Aristophanei 107.

Demetrii 90. 107.
Didymus 15. 16. 17. 18. 26. n. 1. 43. 59 usque 63. 74. n. 1. 77. 95. 97 seq. 107.
Dieuchidas vel Dieutychidas 109.
Diodori Tarsensis glossae 94 seq.
Dionysius 110. Dionysius Thrasybuli frater 15. n. 1. Dion. Zopyrus 87. 107.
Diopithes 64 seq.
Ducangii glossae 125. n. 1.

ἑλκύω in schol. 59.
ἔμπροσθεν i. q. infra 36. n. 2.
Epaphroditus 95.
Epimenes s. Epimenides 92.
Epimerismi 101.
Eratosthenes 86. 97. n. 1.
ἐς κόρακας 37. n. 5.
Etymol. Orionis 18, 22. p. 114.
Euphronius 71. 74. n. 1. Tagenistas interpr. 87.
Eustathius Il. p. 221. 31. Lips. p. 29. 254. 30. ibid.

Georgius Pisides 116.
Gregorius Nazianz. 116.

Heliodorus metricus 10. 11. 119 seqq.

Hephaestio 120.
Herodianus 69. 75. 84. 95. seq.
Herodicus gr. 93.
Ὑποθέσεις 41 seq. 126.
Ὑπομνήματα. ὑπόμνημα. τὸ ὑπόμνημα. 12 seqq. 48 seq. 50. 57.
Infinitivi usus in excerptis frequens 55.
Irenaeus 94.
Juba 83. n. 4.
Ixion (Demetrius) 90.

Lamia 18. 29.
Lectionis Aristophaneae varietas in scholiis expressa 105.
Lexicon Rhetoricum Bekkeri 83.
Libanius 116.
Lucianus 116.
Lycophro 88.

Meletus et Melitus, Socratis accusator et tragicus poeta num diversi 41. n. 1 seqq.
Menecles 109.
μὴ pro οὐ 38.
Midias 76.
Μόχθος v. Apion.
Moschopulus 122 seqq. 127.
M. Musurus 3. 6 seqq. 46.
Myronidae 35. n. 3.

Neanthes 109.
Neoclides 32 seq.
Nicander Thyatirenus 95.
Nitarus 61. n. 1.

Oeagrus 35.
Orus Milesius 82. n. 6. 83.

Palamedes Eleaticus 95.
Pamphilus 93. n. 2 extr.
παραφυλάττειν 75.
παρεπιγραφή 105 seq.
παρετυμολογεῖν 100. n. 2.
Pausanias 116.
Pedestris oratio ap. comicos obvia 100. n. 4.
De personis comicis scriptores 92 seq.
πέτευρον fragm. Ar. 667. p. 51. n. 3. 53. n. 5.
Phainus 10. 117 seqq.
φασί et φησί mutata 56.
Philetas Ephesius 110.
Phillis pro Phyllis 109 seq.
Philostratus 116.
Photii copiae 53.
Phrynichus comicus 77 seq. 95. grammaticus 95.
πλαγιάζεσθαι 22. n. 1.
Plato comicus 77 seq.
Praxion 110.
Pseudophocylides 116.

Scholia in Aristophanem.
Ach.: 106, p. 34 seq. 145, p. 65. 448, p. 64. 842, p. 64.
Av.: 15, p. 105. 17, p. 56. 69 seqq. 19, p. 105. 58, p. 102. 168, p. 64. 100. 283, p. 23. 303, p. 67. 439, p. 59. 530, p. 83. 556, p. 20. 704, p. 60. 764, p. 35. 988, p. 64. 113. 1001, p. 63. 1075, p. 21. 80. 1121, p. 58. 1242, p. 23. 86. n. 1. 1283, p. 33. 60. 76. 1294, p. 62. 1297, p. 59. 62. 76 seq. 1342, p. 107. 1363, p. 60. 1379, p. 58. 62. 63. 1569, p. 90. n. 2. 97. 1678, p. 69. 1679, p. 61. 69. 1703, p. 61. 1738, p. 15.
Eq.: 84, p. 109. 752, p. 58. 958, p. 58. n. 1. 974, p. 80. 1122, p. 64.
Lysistr.: 722, p. 33. 1237, p. 35.
Nub.: 500, p. 24. Rav. 854. p. 64. 1281 seq. p. 104. n. 2.
Pac.: 117, p. 37. n. 5. Ven. 359, p. 92. 376, p. 14. 742, p. 18. 29. 761, p. 104. n. 4. 797, p. 103. 882, p. 65. 905, p. 120 seq. 924, p. 105. 1116, p. 96.
Plut.: 9, p. 14. 159, p. 30. 210, p. 33 303, p. 37. n. 4. 322, p. 29. 385. p. 23. 550. p. 14. 15. 589, p. 14. 665, p. 32. 720, p. 113 seq. 782, p. 43. 1011, p. 61. 73. 102. 1037, p. 13. 17. 18. 28. 50. 56. 79.
Ran.: Rav. 93, p. 69. 320, p. 94. 103. 744, p. 85. 968, p. 108. 1225, p. 67.
Thesm.: p. 4. 54. Schol. Thesm. 2, p. 7. 21, p. 4. 80. p. 4. 101, p. 5. 162, p. 16. 46. 54. 99. 273, p. 8. 346, p. 5. 389, p. 55. 393, p. 66 seq. 99. 516. p. 6. 567, p. 99. 568, p. 5. 648, p. 8. 689, p. 8. 747, p. 5. 804, p. 6. 811, p. 8. 840, p. 55. 947, p. 5. 1214, p. 8.
Vesp.: 73, p. 105. 151, p. 15. 111. 418, p. 43. 544, p. 19 seq. 579, p. 35. 822, p. 43. 875, p. 109.

n. 3. 968, p. 21. 1035, p. 18 seq. 29. 1238, p. 93. 1283, p. 119 seq. 1302, p. 64. 1310, p. 16. 1386. p. 44.
Scholia Eccles. et Lysistr. 72 seq.
Scholia recentiora 116 seq.
Scholia et scholiastae 38. n. 1.
σχολικὰ ὑπομνήματα 86.
Scholiorum loci qui ad alios scholiorum Aristophan. locos relegant, p. 36. 37 seqq. 46, n. 3. scholiorum loci qui ad aliorum poetarum locos relegant p. 15 seqq.
Scholia Homerica cod. Ven. p. 85. n. 4.
Seleucus 55, 74 seq. 83. n. 4. 91.
Socrates gramm. 58. n. 4.
Suidae copiae 82. v. βατήρ 74. n. 3. Θαῤῥελείδης 70 seq. οἰνοπίπας 67. ὑπερακοντίζεις 113.
Symmachus 9 seqq. auctor hypomnematis 57 seqq. 72 seqq. 76. 81. patria 81. aetas 81 seqq. 96. contextum non descripsit 74. 99 seqq. quae secutus sit in critice 104 seqq. 107. commentandi ratio 85. dicendi genus 79 seq. 111 seq. fontes commentarii 86 seqq. 96 seq. 108 seq. Symmachi nomen obscuratum 111 seq.

Tharrelides 69. 70 seq.
Theorus 37. n. 1.
Thomas Magister 33 seq. 73. 122 seqq. 126.
Timachidas Rhodius 91.
Timotheus 91.
Triclinius 122 seqq. 127 seqq.
τρίτος et sim. pro τρισκαιδέκατος 4.
Tzetzes 122 seqq. 127.

Victorianae copiae 91. n. 1.

---

p. 39, n. 1, 4. L. utar 42, 8. παρετηρήσαμεν 43, 23. κακοσύνθετος 48, 8. nona] l. non a 56, 30. suum 57, 20. deperditae 58, 17. οἱ μελισσουργοὶ 64, 24. ἦν 68, 30 voluerit 72, 10 videbo] ridebo 73. lin. penult. comicum] comicus 74, n. 3, 2 βατήρ 76, penult. Κρατίνου 78, not, 2. not. 5] not. 3. 79, 37. dele: schol. Rav. 1225: — παρατήρησις τοῦ Συμμάχου —. 85, not. 4. l. Göttling. 87, 19. παραιξοροῦσιν 90, n. 2, l. 2. Δημήτριον 100, 15. ἐλασᾷ. 100, n. 4, 10 queratur 103, 31 inventum 104, 17 etiamsi a schol. 104, 41 ἐπὶ ἅλω 105, 27 disjunxerint vel conjunxerint 108, 35 opinor.

In interpungendo erratum saepius est; sed ea, ut pauca quaedam alia lectorem non morabuntur.

Berolini, typis A. W. Hayn.





